



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conferentiæ Theologico Morales


Compendiosè propositæ ac breviter resolutæ Ad Usum Directorum
Conferentiarum Hebdomadalium ... DD. Parochorum, Curatorum,
Confessariorúmque omnium

Ex Materia De Actibus Humanis Excerptarum

Sargar, Eliseus

Augustæ Vindelicorum, 1720


urn:nbn:de:hbz:466:1-41214



Th. 2267.

G. II

29



(vgl. 2211.)

CONTINUATIO
CONFEREN-
TIARUM THEOLO-
GICO-MORALIUM,

EX

MATERIA DE ACTI-
BUS HUMANIS
EXCERPTARUM,

Quæ

*Compendiosè propositæ ac bre-
viter resolutæ sunt*

Ad

Usum Directorum Con-
ferentiarum Hebdomadalium
in plerisque Religiosis Domibus

Usurpatarum :


DD. Parochorum, Curatorum,
Confessariorū mque omnium

à

P.F. ELISEO SARGAR, Loco-Politano,
Almæ Provinciæ Argentinæ FF. Min. Recoll.
SS. Theol. Lectore Jubilato.

Editio Sexta.

Augustæ Vindelicorum,
Expensis Joannis Strötter Bibliopolar. 1720.



R


Re

Du

Do

Do

Do



Reverendissimis Perillustribus

Ac

Religiosissimis

DOMINIS DOMINIS,

Ducalis Ecclesiæ Cam-
pidonensis,

Ordinis S. Benedicti,

S. Sedi immediatè subjectæ

CAPITULARIBUS,

DOMINIS AC PATRONIS MEIS
PERQUAM GRATIOSIS.

Domino Adalberto L. B. de Falckenstein,
Decano.

Domino Josepho à Liebenfels. Vice-
Decano.

X 2

D.Bo-

DEDICATIO:

- D. Bonifacio à Danckenschvveil Senior
ac Jubilæo.
D. Columbano à Liebenfels.
D. Othmaro L. B. à Bodmann.
D. Gregorio L. B. de Vehlin.
D. Meinrado L. B. de Freyberg.
D. Christophoro Giel à Gielsparg.
D. Mauro à Schönberg.
D. Benedicto à Pirck.
D. Cœlestino L. B. à Rosenbusch.
D. Placido L. B. ab Egloff.
D. Bernardo Ungelter L. B. à Deiffen-
hausen.
D. Castulo à Neuenstein.
D. Theodoro L. B. à Prasberg.
D. Wilibaldo Schliderer à Lachen.
D. Adelrico Reich à Reichenstein.
D. Romano L. B. de Grandmont.
D. Gordiano à Pubenhofen.
D. Ruperto ab Horben.
D. Joanni Baptistæ L. B. à Bodmann.
D. Corbiniano Speeth L. B. in Hettrich-
gen.
D. Basilio L. B. Reichle à Meldegg in Fel-
heimb.

D. Epi-

DEDICATIO.

D. Epimacho de S. Vincentio.
D. Mariano L. B. de Welden.
D. Innocentio L. B. de Alt - & Neuen
Frauenhofen.
D. Honorio L. B. de Bemmberg.
D. Anselmo L. B. Reichle in Horn.



Uòd præsumam *Reverendissimis*
& *Perillustribus Dominis Capi-*
tularibus, hocce opusculum
meum humiliter dedicare,
est, quia de *Conscientia*, *Ac-*
tibus humanis & *peccatis tractat*; quod ip-
sum obedientiæ meæ, tanquam Confes-
sarii

DEDICATIO.

sarii ordinarii, licet indigni, & officii esse
notum est; utpotè dijudicare inter actus
humanos, an boni, malive sint: Con-
scientias examinare, an rectæ, erroneæ,
dubiæ, vel scrupulosæ sint: Erroneas in
viam rectam ducere: scrupulosas & fluc-
tuantes compescere, ac consolidare,
nec non peccatorum naturam discernere,
distingueréque. Cùm igitur *Reverendissima*
& *perillustres Dominationes vestre* parvitati
meæ conscientias suas frequentius cum
fidelitate concredere soleant: actus suos
humanos examinandos conferant: ac de-
fectus quotidianos sincerius in Domino
confidant; non alii utique libellus iste
debeatur, quàm *Reverendissimis & Peril-
lustribus Dominationibus vestris*, quippe qui-
bus ex obligatione reciproca necessitatus
existam; utpote ut conscientiam meam,
Actúsque humanos bonósque, malósque,
atque etiam indifferentes illis ipsis in Li-
bro offeram, qui suas mihi conscientias
orete-

DEDICATIO.

oretenùs in Confessionibus fidelissimè
concredere consuevère. Porro ne puter
æquitati minùs satis facturus reddendo
verba pro rebus, verbis pro scœnore &
censu superaddo doctrinam Theologico-
moralem de conscientia, Actibus hu-
manis, & Peccatis: seu Regulas doctri-
nales, quomodo bonum honestum sit
amplectendum, malum peccati fugien-
dum & adversandum: DEUS T. O. M.
summè colendus, diligendùsque: quod
nobis fieri nolumus, alteri ne faciamus:
convenienter naturæ vivendum: non
plus irascendum, comedendum aut bi-
bendum, quàm oportet &c. Est enim
libellus hic, Navis una ex illis Divi Ja-
cobi cap. 3. v. 4. *Ecce & naves, cum
magnæ sint, & à ventis validis mimentur, cir-
cumferuntur à modico gubernaculo, ubi impetus
dirigentis voluerit; quia sicut Navis guber-
naculo tenui, ut videtur, & exiguo om-
nia diriguntur [ubi impetus dirigentis*

X 4

volue-

DEDICATIO.

voluerit] ita in libello præfenti exponitur & explicatur *Conscientia*, five dictamen Intellectus practicum, quo hic & nunc decernitur, quid secundum rationem modò faciendum sit, aut omittendum; aut certè in rebus jam peractis est iudicium Intellectus decernentis, an res ex ratione peracta sit benè, an verò perperam. Ecce quantula res sit, quæ totum tamen in humanarum actionum directione obtinet dominatum. Quid enim exilius, & in speciem contemptibilis est, quàm unius hominis de rebus agendis actisque iudicium? certè humana, quæ de se passim circumferebantur iudicia, insuper habebat Apostolus, & contemptui. *Mihi autem pro minimo est (inquirebat) ut à vobis iudicer, aut ab humano die.* Quid verò de unius hominis iudicio dicturum credimus, qui de pervulgatis plurimorum hominum de se sententiis sentiebat tam jejunè? imò tam contemptim? Verum

DEDICATIO.

rùm ut aliena de se dicteria & censuras pro minimo haberet Apostolus, sanè *conscientiæ* suæ testimonium & iudicium adeo non parvi faciebat, ut eam *GLO-RIAM SUAM* compellare non erubescat. Exigui itaque momenti ut sint aliena de re iudicia, tuum tamen magni pende & venerare. Exigua ut videtur res, eâ tamen ejusmodi est, ut ab illa omnis moralis bonitas perversitasque actionum humanarum liquidò dependeat. Ab hac autem animæ in hac mortali vita quietem aut perturbationem, in futura verò salutem aut condemnationem omnem existere, in confesso est. Ne itaque parvum dixeris, à quo tanta pendet & dirigitur rerum machina. Neque gubernaculum quamvis visu non admodum sit elegans, & in ultima navis parte constitutum, dignitate ulli cedit armamento: imò singula longè superat. Ut proinde præclare admodum dictum sit illud à D. Jacobo:

» Ecce

DEDICATIO.

» Ecce & naves, cum magnæ, sint, &
» ventis validis minentur, circumferuntur
» à modico gubernaculo, ubi impetus di-
» rigentis voluerit. Hanc igitur Jaco-
» beam Navim, vel potius gubernaculum
» ejus: » Conscientiam, Dominationibus
» vestris Reverendissimis & Perillustribus
» offero, consecro & exopto Bonam, quæ
» nec præsentibus terreatur, nec futura ex-
» pavefcatur. De qua præclare, ut affolet,
» D. Bernard. *Nihil est jucundius, nihil tutius,
» nihil ditius bona conscientia: premat corpus,
» trahat mundus, terreatur diabolus, illa secura
» est.* Quid enim aut hominum judicia me-
» tuam, si meo ipso me absolvo? aut quid
» dæmon mihi noceat, si mea me con-
» scientia non admordeat? an mihi, is quid-
» quam persuaserit, quod falsum esse mea
» mihi conscientia attestatur? an Deum mi-
» hi offensum esse imposuerit, quem mihi
» propitium esse, Dei vices gerens conscien-
» tia liquido affirmat? Quid demum timen-
» dum

DEDICATIO.

dum est mihi ? ne Deus quidem, qui
totum, quod habet in me jus, conscien-
tiæ meæ iudicio transcripsit, & consigna-
vit. Atque adeo, subdit idem Bernardus.
» Bona conscientia secura erit cùm corpus
» morietur : secura, cùm anima coram
» DEO præsentabitur. Et hanc quidem
securè vivendi felicitatem elegantius de-
scribit serm. de Magdal. *Absit*, inquit,
» ut in terra suaviter viventium, gaudio-
» rum inveniatur materia, cùm tantis al-
» ternationibus tota mundi facies immute-
» tur. Sed est gaudium continua sibi ju-
» cunditate firmissimum, quod perfectus
» animus de secura sibi conscientia polli-
» cetur. Mens enim ab hujus mundi as-
» pergine pura, deterfa, & in divinæ con-
» templationis acumen totum desiderii
» sui figens affectum, minas aspernatur,
» nescit timorem, spem falsam eludit, &
» omnium scandalorum immunis, in pa-
» ce in idipsum dormit & quiescit. Hanc
pro-


DEDICATIO.

proinde conscientiam mundam, secu-
ram, timoratam, omnis mali, nesciam.
» Vestris Reverendissimis & Perillustribus
» Dominationibus animatus exopto, atque
» humiliter offero.

*Vester Servus obsequen-
tissimus*

Fr. ELISEUS
Franciscanus.

APPRO-



APPROBATIONES
THEOLOGORUM.

I.

Ex Speciali Mandato

Reverendissimi & Celsissimi
S. R. I. Principis Domini, Domini

RUPERTI,

Ducalis Monasterii Campidonensis Abba-
tis, nec non Augustissimi & Romanorum Im-
peraticis Archi-Mareschal-
li, &c. &c,

EGO CHRISTOPHORUS GIEL, à
GIELSPERG in ducali, & S. Sedi im-
mediate subiecto, Ord. S. Benedicti
Monasterio Campidonensi Capitularis,
SS. Theologiæ, SS. Canonum, & Philoso-
phiæ, Professor, &c. Præsentem Confe-
rentiarum Theologicarum Moralium To-
mulum,

secu-
ciam.
tribus
atque

US

0-

APPROBATIO.

mulum, Authore Reverendo admodum
& Clarissimo P. Eliseo Sargar, Ord. FF.
Minorum S. Francisci Recollect. Provinciae
Argentinenfis, SS. Theologiae Lectore ju-
bilato, diligenter pervolvi, nihilque in
eo deprehendi, quod vel latum unguem
dissideat à Sacris Ecclesiae Dogmatibus,
Patrumque Decretis, aut receptis Theo-
logorum Placitis, vel honestate morum:
Idcirco nedum publicis typis utilissimum
judico, verum & confulo, ut omnium,
qui animarum lucro invigilant, bonoque
Pastoris munus exercent, manibus teratur,
& evolvatur.

Ita censeo in Ducali & Exempto Monas-
terio Campidonensi, Die 13. Nov. Anno
reparatae Salutis. 1701.

APPRO.



APPROBATIO.

II.

Præsens Opusculum Conferentiarum Theologico-Moralium ante hac ex parte jam notum ab Admodum Reverendo Religiosissimo & Clarissimo Patre ELISEO SARGAR Ordinis FF. Minorum S. Francisci Recollectorum Provinciæ Argentinae Lectore Jubilato &c. summa diligentia studioque compositum, enucleatè elaboratum non semel solummodo perlegi, evolvi que, nec aliquid aut fidei orthodoxæ contrarium, aut à SS. Canonibus vel Patribus dissonum, aut à Christianis moribus alienum reperi; quin imò è contrario plurima inveni, quæ animarum Curam exercentibus, præsertim illis, qui à confessionibus esse solent, vel maximè deservire, & usui esse possunt. Meritò igitur lucem publicam videt, quo citiùs desiderio plurimorum, opus tam utile, quàm

CORR-

modum
rd. FF.
vinciæ
ore ju-
que in
nguem
atibus,
Theo-
orum:
simum
nium,
noque
eratur,

Monaf-
Anno

RO.

APPROBATIO.

compendiosum identidem urgentium fra-
satis. Ita censet in Ducali sacraeq; Sed
immediatè subjecta Ecclesia Campido-
nensi die 13. Novembris. Anno 1701.

JOAN. BAPT. WALTMANN
SS. Theologiae Licent. Re-
verendiss. & Celsiss. Princ.
Campid. Consil. Eccles. &
in Parochial. Vicarius.

TITU.



TITULUS I.

De Conscientia.

Pro perfecta intelligentia
 (tum nominis tum rei)
 per nomen *Conscientia* si-
 gnificata capessenda, præ-
 sciendum est, quod sicut
 in intellectu nostro respectu cognoscibi-
 lium est quidam habitus cognoscitivus pri-
 morum principiorum speculativorum,
 inclinans ad veritatem cognoscendam
 atque à falsitate discernendam, dictus
intellectus, cui cognita sunt ejusmodi prin-
 cipia per se nota; utpote *quodlibet est, vel
 non est; idem non potest simul esse & non esse;
 omne totum est majus sua parte; qua-
 cunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem
 inter se &c.* ita in eodem intellectu re-
 spectu agibilium, seu actuum humanorum
 sit quidam habitus cognoscitivus primo-
 rum principiorum moralium seu practico-
 rum, generatim inclinans ad bonum agen-
 dum

A

dum

ium fra
 eiq; Sed
 impido-
 701.

MANN
 cent. Re
 Princ.
 Ecclef. &
 garius.

TU

dum, & malum fugiendum, cui cognita sunt huiusmodi principia practica per se nota; videl: *bonum honestum amplectendum; malum peccati fugiendum: Deus colendus; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; convenienter natura vivendum; non plus irascendum, bibendum, comedendum quàm oportet.* Atque hic habitus ad talia principia inclinans vocatur *Synderesis*, five conservatio; eò quod suo dictamine naturam rationalem in bono conservet, quæ alioquin ex naturali infirmitate facile illimè declinata esset in malum.

2. Ex his porro principiis practicis oritur alia notitia conclusionum universalium inde deductarum, vocaturque *Scientia moralis*: E. G. *Synderesis* dicitur, malum esse fugiendum: subsumit ratio, furtum vel adulterium est malum: atque concludit: ergò non est furandum, non adulterandum. Et notitia talium conclusionum, & habitus ad eas inclinans propriè dicitur *Scientia moralis*; definiturque: *Est habitus cognoscitivus conclusionum universalium practicarum ex principiis practicis deductarum.* Quod si ratio

ratio subsumat motivum naturale, seu lumine naturæ notum, erit *Scientia moralis naturalis, sive Ethica*: si verò illud motivum subsumptum sit supernaturale, sive divinitus revelatum, habebitur *Theologia moralis*; quæ proinde benè definitur: *Est habitus cognoscitivus conclusionum universalium practicarum ex principiis supernaturalibus seu revelatis.* V. G. Malum est fugiendum: sed furtum, vel adulterium est malum; quia à Deo in Decalogo prohibitum; igitur furandum & adulterandum non est.

3. Quod si hanc conclusionem inferas in particulari sis: furtum & adulterium est malum, quia à Deo prohibitum; infert *Conscientia*: ergò hanc rem non debeo auferre invito domino; ergò ablatam teneor restituere. Est enim *Conscientia dictamen intellectus practicum ex principiis communibus judicans aliquid in particulari, seu hic & nunc agendum, ut bonum honestum, vel fugiendum ut malum inhonestum.*

4. Dividitur in Rectam, Erroneam, probabilem, dubiam & scrupulosam; quia quinque potissimum modis contin-

git intellectum ex principiis communibus iudicare circa actionem in particulari. Aut enim concludit ex principiis veris, & certis; & erit *Conscientia Recta*: aut ex principiis falsis, creditis tamen pro veris & certis; & erit *Conscientia Erronea*: aut ex probabilibus seu vero similibus tantum; & erit *Conscientia probabilis*: aut nihil plane concludens manet suspensus circa honestatem actionis: & erit *Conscientia dubia*: aut deinceps inani motivo suspicatur ac timet malum; atque ita sequetur *Conscientia scrupulosa*.

Alia iterum est *Conscientia bona*, quam quis sibi conscius est recte factorum, aut habituatus ad recte faciendum: alia *Conscientia mala*, qua culpabili ignorantia vel malitia malum sub ratione boni prosequendum arguit. His ita prenotatis sit,

CONFERENCE I.

5. **P** Seudomoralis Theologus pro defendenda sua malitia facit hunc Sylogismum, cuius Major est Synderesis, hoc modo: omne bonum est amabile & prosequendum; sed furari, fornicari & adul-

adulterari est mihi bonum; quia utile & delectabile; ergo mihi licitum est hanc rem furari, cum hac fornicari, & adulterari; quaeritur ergo, an hæc conclusio sit Conscientia?

RESOLUTIO: Hæc conclusio non meretur nomen Conscientiæ, sed potius Anticonscientiæ: Ratio est: quia dictamen rationis non procedit secundum rationem superiorem honestatis sed inferiorem utilitatis & voluptatis: constans est autem apud omnes, *Conscientiam essentialiter consistere in dictamine honestatis*; quippe quæ essentialiter debeat esse regula directiva actionum humanarum honestarum, & ad finem rectum seu honestum: igitur &c.

CONFERENTIA II.

6. **G**enof. 29. narratur de Jacob pente ingredi ad dilectam Sponsam suam Rachelem, pro qua jam servierat septem annis: supposita autem illi erat Lia ipso inscio, cum qua proinde habuit rem suam, tanquam cum uxore propria Rachele, quæ tamen non erat. jam

A 3

ergo

ergò quaeritur: an Iacob bonâ conscientia cognoverit Liam?

RESOLUTIO: Iacob secundum rectam & bonam conscientiam ingressus fuit ad Liam. Ratio est: quia virtualiter saltem ita argumentabatur. *Licetum est ingredi ad suam: principium verum; sed haec est mea: quae est minor, licet speculative falsa, utpotè difformis suo objecto practice tamen vera erat; siquidem secundum rectam rationem nec potuit nec debuit aliter judicare; igitur verâ & rectâ Conscientiâ intulit: ergo licet mihi ad hanc ingredi.*

Dices, Hanc Conscientiam illatam ex motivo falso non posse esse nisi falsam. R. Eam esse quidem ex motivo falso speculative non verò practice, id quo invincibiliter: ideoque esse quidem Erroneam invincibiliter atque inculpabiliter, veram tamen & rectam practice.

CONFERENCE III.

7. **S**ed quid si Iacob fuisset à vito gravi & hinc digno præmonitus de fraude Laban, & tamen absque alia adhibita diligentia inquirendæ veritatis ad Liam suppositam intrasset?

R. Tunc

32. Tunc minorem, *hac est mea*: futuram fuisse tam speculativè quàm practicè falsam; quia fuisset difformis rectæ rationi practicæ, dum sine sufficienti & rationabili motivo ita judicasset, non adhibendo diligentem inquisitionem veritatis: quare accessisset ad Liam cum conscientia Erronea vincibili & culpabili; adeoque speculativè & practicè falsa.

CONFERENTIA IV.

8. **C**OMMUNIS DD. D. Thomæ 1.2. q. 19. a. 5. D. Bonav. in 2. d. 39. a. 1. q. 4. Azor. Sanchez. Vasq. & aliorum, docet, *Conscientiam non tantum rectam, sed etiam erroneam invincibilem obligare ad sui sequelam sub peccato; pro ratione dictaminis mortali vel veniali; actumque conformatum honestum atque moraliter bonum efficere.* Quæritur ergò, an credens hodiè esse festum, cum non sit, omittendo factum peccet mortaliter? item alius in die festo invincibiliter putat non esse festum, an peccet si sacrum audire negligat? item, quidam putat invincibiliter hodiè esse diem jejunii, cum non sit, & manducat carnes: alius diem veneris putat similiter esse diem

Jovis, an comedendo carnes peccet contra præceptum Ecclesiæ? alius putat licitum esse mentiri officiosè pro servanda vita proximi: aut furandum ditiori ut de egegenti: an excusentur à peccato? Ratio dubitandi est; quia malum non potest præcipi vel obligare hominem: sed id quod Conscientia Erronea dicitur, v, g. furari, mentiri, die veneris carnes manducare, die festo missam non audire, est verè in re, & intrinsecè malum: ergò illa Conscientia non potest præcipere vel obligare aut liberare hominem ad vel à peccato.

RESOLUTIO: Credens hodiè esse festum, quod non est, omittendo sacrum, peccat mortaliter: alius putans non esse festum, cum sit, non peccat negligendo audire sacrum: similiter putans invincibiliter diem veneris esse diem Jovis, manducando carnes non peccat: nec ille qui mentitur officiosè pro liberando proximo, nec denique ultimus furando ditiori, ut succurrat egegentiori. Ita docent cit. DD. &c.

Probatur I. ex Apostolo ad Rom. I4. ubi cum docuisset in lege Christiana nul-

lum cibum esse immundum ; nihilo mi-
nus asserit Judæos conversos, qui ex con-
scientia Erronea putant cibos gentilium es-
se immundos ac veritos, verè peccare, si
comedant. *Scio (inquit) & confido in*
Domino Jesu, quia nihil commune est per
ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse,
illi commune est. II. Ratione manifesta:
quia dictamen conscientie proponens vo-
luntati aliquid, ut lege præceptum aut pro-
hibitum, bonum vel malum, est imme-
diata lex & regula voluntatis in operando:
atque adeò præcipiens vel prohibens ali-
quid obligat sub peccato præcisè quatenus
proponitur voluntati per dictamen intel-
lectus saltem practicè verum ; ergò non
tantum conscientia recta, sed etiam erro-
nea invincibilis, practicè verè dictans ali-
quid esse præceptum vel prohibitum &c.
obligat voluntatem ad sui sequelam sub
peccato, ut contra faciens, v. g. erroneè
putans hodie esse diem festum, & sacrum
omittens &c. verè peccet.

Ad rationem dubitandi &c. Malum
formaliter ut malum, practicè propositum
voluntati in ratione mali, non posse præ-
cipi

cipi, vel obligare hominem; bene autem
malum materialiter tantum; quando
practicè proponitur voluntati sub ratione
boni.

CONFERENTIA V.

9. **E**X dicta Conferentia videtur sequi
licere postea delectari de opere in
trinsecè malo ex inculpabili ignorantia
perpetrato: v.g. de carne comesta die ve-
neris: de liberatione proximi facta per
mendacium officiosum: de subventionibus
charitativa procurata pauperi per furtum:
& quidni etiam de periurio, homicidio,
adulterio invincibiliter bene factis? quæ
omnia videntur esse illicita.

RESOLUTIO: Hæc omnia licent,
quamdiu durat conscientia invincibilis di-
ctans fuisse bonum: at postquam quis co-
gnovit actum fuisse intrinsecè malum, de eo
præterito materialiter accepto & secun-
dum se, delectari est peccatum ejusdem
speciei cum ipso actu, secundum omnes.
Ratio primæ partis est: quia durante Con-
scientia invincibili dilectatio est de objecto
honesto: perinde enim est sic delectari ac
sibi complacere, quod tali actu non pec-
caverit:

ne autem
quand
ratione
tur sequ
opere in
norant
a die ve
acta pe
ventione
furtum
micio
s? qu
licent
ibilis di
quis co
m, de co
secun
eiusdem
omnes
te Con
objecto
ari ad
n pec
averit:

averit: hoc autem licitum esse, nemo
negaverit. Ratio autem posterioris partis
patet, quia postquam quis cognovit
actum fuisse intrinsecè malum,
complacens sibi de eo habet objectum
simpliciter malum; adeoque peccat pec-
cato ejusdem malitiâ cum ipso actu. Un-
de in confesso est apud omnes, pollutio-
nem in somnis inculpate habitam fieri po-
tè mortalem, si vigil sibi de ea compla-
ceat ratione delectationis habita: non ve-
rò si ideò exultet in vigilia, quòd innocen-
ter liberatus sit à tentatione vel certa ali-
qua infirmitate, de quo fortè plura infra
de peccatis.

CONFERENTIA VI.

10. Quidam ex Conscientia erronea
culpabili ac vincibili existimat
esse peccandum pro liberanda adultera à
morte, dum putat hoc esse opus misericor-
diæ & charitatis: itaque sciens esse adul-
teram, coram Judice jurat non esse, quæri-
tur: an peccet?

R. Cum communi & D. Thom. 1. 2.
q. 19. a. 6. Eum utique peccare: Ratio est
quia actus factus ex conscientia erronea &
vincibili

vincibili culpabiliter dictante malum est, bonum, est malus; quia indirectè voluntarius in sua causa, scilicet in errore vincibili; eo ipso enim quo potuisset & deberet vincere errorem inquirendo veritatem & culpabiliter neglexit, voluit & ipsum errorem & malum inde secutum seu voluntariè ignoratum.

11. Sed quid si æquè timet se peccaturum contra charitatem non pejerando, ac pejerando contra Religionem? R. id tam facile fieri non posse ab eo, qui habet conscientiam erroneam vincibilem, quam potest & debet deponere ac corrigere; quod si ergò culpabiliter eam retineat, nil mirum, stante uno absurdo sequi & alterum, ut scilicet necessariò peccet, quid quid elegerit. Quod si autem perplexus invincibiliter putet utramque partem esse peccatum, tunc eligendum illi est, quod minus apparet peccatum; aut si nec hoc dijudicare possit, eligat sive unum, sive alterum & non peccabit. Nemo enim necessitate peccat; is autem unam partem eligere, videlicet peierare vel non peierare, necessitate cogitur: igitur non peccat. Nec re-

malum fert, quod ipse se iudicet peccare; quia
tè voluntè peccatum non consequitur iudicium in-
ore vincit intellectus, sed ad actum liberæ voluntatis,
& debet quæ in proposito deficit. Ita per omnia no-
eritatem. Sicut Patritius Tract. 1. cap. sect. 2. ex Sen-
ipsum e. chez lib. 1. moralium c. II. n. 14.

CONFERENCE VII.

12. **S**ubditus ex conscientia erronea pu-
tat certum aliquem actum esse il-
licitum, quem tamen superior ipsi legiti-
mè præcipit exequendum; quæritur: an
præstet satisfacere præcepto superioris,
quàm dictamini Conscientiæ erroneæ?
D. Bonav. in 4. & 2. q. a. 1. q. 3. absolu-
tè respondet standum esse præcepto su-
perioris.

RESOLUTIO. Vel conscientia sub-
diti est erronea invincibilis, vel vincibilis:
si primum, ea plus obligat quàm præcep-
tum contrarium quantumvis rectum su-
perioris: Ratio est; quia subditus tunc
sequendo suum dictamen inculpate qui-
dem erroneum, practicè tamen (ut sup-
ponitur) omninò verum, non peccat;
quia prudenter sequitur immediatam re-
gulam actionum humanarum; & conse-
quen-

queret obediendo contrario præcepto
 superioris peccaret agendo contra im-
 mediatam regulam actionis humanae
 delictet contra dictamen rationis pruden-
 ter conceptum, quo solo mediante
 omnis lex vel præceptum vim obligantem
 habet: igitur &c. si verò secundum, id est
 si Conscientia subditi est vincibilis, tunc
 præceptum superioris obligat ad deponen-
 dam ac corrigendam Conscientiam erro-
 neam culpabilem; & consequen-
 ter ad obediendum præcepto superioris.
 Ita Sanchez cit. & Bard. Discept. 3. c. 1.
 Quare D. Bonav. intelligendus est de Con-
 scientia erronea vincibili & culpabili, non
 verò invincibili.

CONFÉRENTIA VIII.

13. **C**ontingit non rarò poenitentes la-
 borare conscientiam erroneam etiam
 in re gravi, quaeritur: an confessarius id ad-
 vertens teneatur eos informare? pro Re-
 sponsione sit.

RESOLUTIO I. Quandocunque poe-
 nitens laborat conscientiam quavis erroneam
 circa aliquod requisitum ad validam abso-
 lutionem

lutionem à peccatis (puta, non esse explicandas species aut numerum peccatorum moralium; non requiri aliquem dolorem supernaturalem de peccatis commissis, aut propositum emendandi, vel restituendi injustè ablata &c.) Confessarius id advertens tenetur sub mortali cum instruere & admonere. Ita omnes. Ratio est evidens; quia confessarius, quantum est de se, gravissimè obligatur curare, ut validè & licitè administret Sacramentum. Eadem ratione, quando confessarius advertit peccantem laborare Conscientiâ erroneâ, seu ignorantia vincibili ac culpabili in materia peccati mortalis, tenetur cum informare; quia aliàs talis maneret in malo statu, adeoque incapax absolutionis est etiam communis cum Soto *in 4. d. 10. q. 2.*

4. 4.

RESOLUTIO II. Pœnitentem laborantem conscientiâ erroneâ, in materia peccati contra se, (utpote putantem esse peccatum, quod non est; aut esse peccatum mortale, quod solum est veniale) tenetur confessarius informare de errore, adhibita tamen cautelâ, nè conscientias nimis

mis

mis lavet. Ratio est: quia confessarius ut
 spiritualis doctor & medicus, quantum est
 de se, tenetur poenitentem liberare à pec-
 cato: sed qui putat se peccare mortaliter
 cum re ipsa non ita peccet, ratione tamen
 dictaminis erronei, revera ita peccat: igitur
 &c. Ita Patrit. sub n. 27. post Sanchez.
 2. de Matrim. Disp. 38, r. 4. & communis.
 15. RESOLUTIO. III. Confessarius
 ex Confessione advertit, poenitentem con-
 traxisse matrimonium in validum (sive ex
 jure humano, ut cum consanguinea prio-
 ris conjugis intra quartum gradum; sive
 jure divino, v. g. priore conjugis nondum
 mortua) ex errore vel ignorantia in vinci-
 bili & inculpata, durante etiam sum bona
 fide; & simul etiam advertit, si ipsum infor-
 met de errore, tamen conjugem puari-
 tiam non derelicturum, & sic contra-
 peccaturum: aut certe si derelinquat
 oritura gravissima scandala, incommoda
 ac difficultates circa proles jam susceptas
 (nisi per dispensationem possint hæc om-
 nia commodè evitari) eo casu potest ac
 debet confessarius prudenter dissimulare,
 imò si opus sit etiam obligationem debiti
 ex

docere. Sanchez cit. n. 8. Et ratio est, quia ex duobus malis minus est eligendum: minus autem malum est fornicari materialiter tantum in bona fide, quàm accepta informatione imprudenti formaliter peccare, aut alia graviora causare.

CONFERENTIA IX.

16. Confessarius advertit pœnitentem velle ducere uxorem in gradu dirimente (idem est de quovis alio actu vel contractu illicito merè futuro) qui tamen ex errore invincibili ita se posse putat, an teneatur informare, etsi credat informatum non pariturum, ideoque gravissimè peccaturum?

RESOLUTIO: Talis confessarius tenetur suum pœnitentem instruere de matrimonio futuro invalido. Ita Patrit. cit. n. 29. post Marchant. hic. & Com. Ratio est: quia confessarius ut spiritualis Pater, Doctor & Medicus animarum, ex officio suo tenetur pœnitentem informare de erroribus conscientiae, nisi subsit rationabilis causa dissimulandi: atqui hic nulla subest rationabilis causa dissimulandi, sicut in priori casu; ille enim, qui ex errore invincibili jam contraxit matrimonium, est in possessione bonæ fidei, & si informetur, constituitur in perplexitate atque periculo aut peccatorum aut scandalorum, &c. Quibus se moraliter extricare nequit; hic autem, qui nondum contraxit, liber est, extra angustias & pericula præfata: itaque sicut hic non habet causam non recedendi à suo errore, ita & con-

Confessarius non habet causam dissimulandi suum officium de non informando pœnitentem de suo errore, & consequenter secutorum peccatorum causa per se, nullo modo erit informatio Confessarii, sed malitia libera pœnitentis informatio.

De Conscientia probabili.

17 **P**RO intelligentia *Conscientiæ probabilis* sciendum est, eam ex communi Doctorum definiiri, quod sit ea, quæ ex principiis seu motibus probabilibus tantum practicè certò dicitur aliquid licere, vel non licere. Sicut enim quando sub principio synderesis ratio subsumit aliud principium certum, vel pro certo creditum, enascitur conscientia recta vel erronea, ita quando eadem ratio assumit per opinionem probabilem aliquod incertum quidem, cui fortè falsum subesse possit, tamen certò verosimile ac probabile, inde nascitur conscientia probabilis seu opinativa; & ipsa quidem incerta speculativè, omninò tamen certa practicè. Ut patet ex hoc discursu: *Omnis contractus justus est licitus: sed census germanicus accipere quinque pro centum est probabiliter justus, ergò probabiliter est licitus.* Ubi minor & conclusio opinativa, etsi incertæ quoad veritatem, sive speculativè, certò tamen probabiles sunt: & quia iterum certum est, conscientiam posse sequi opinionem probabilem, hinc sequitur conscientia practicè certa: *ergò & mihi vel tibi, hic & nunquam licet inire hunc contractum, exigendo quinque pro centum, salvo capitali.* Unde formari potest sequens, hic prima, in ordine

CONFERENCE X.

18. **C**onscientia, etiam tantum probabilis debet esse regula actionis humanæ honestæ, atque operantem practicè & moraliter securum reddere de honestate suæ actionis, quod scilicet sic operando non peccet: quomodo autem potest operans esse securus de honestate suæ actionis per conscientiam probabilem tantum, quippe quæ habet adjunctam formidinem de opposito, num res sic se habeat? ne fortè census germanicus sit injustus? ne fortè res, quam emere volo aut divendere, sit aliena? pro responsione sit

RESOLUTIO: Ut conscientia probabilis in praxi tuto sequenda sit, debet semper formari per modum iudicii resoluti & practicè certi; & ideo dictum est in ejus definitione, *practicè certò dictat*: dictat inquam hic & nunc licere sic operari (contrahere, emere, vendere, jejunium non servare) absque practica formidine de opposito, *ne fortè non liceat hic & nunc operari: ne fortè peccet contrahendo, emendo, vendendo, non jejunando, &c.* Nam eo ipso, quo quis ita practicè formidat de opposito, censetur practicè dubitare: cum conscientia autem practicè dubia nunquam licet operari; consequenter conscientia probabilis debet *practicè certò dictare*, id est, debet habere iudicium resolutum & practicè certum; quantumvis maneat speculative incertum de veritate, an revera res ita se habeat. Ita Patrit. cit. n. 32. referens pro se Laym. Marchant. & alios.

CONFERENTIA XI.

19. **U**nde diligenter attendant, qui de aliqua materia vel operatione v. g. attentione requisita in horis canonicis, &c. curiosè legunt opiniones diversorum Authorum; quorum unus tenet sub mortali requiri devotionem & attentionem internam: alius externam tantum: tertius neutram, sed sufficere prolationem verborum integram: interim ipsi se non resolvunt practicè, sed manentes dubii, non curant, quid agant. Tales enim non habent conscientiam ullam probabilem; utpotè non formantes sibi iudicium certum practicè quid agendum sit; ideoque labuntur & peccant.

CONFERENTIA XII.

20. **S**ed quid sentiendum de illis, qui post actum commissum vel omissum, antequam vadant ad confessionem, percurrunt Authores, ut inveniant sibi faventem sententiam vel opinionem?

RESOLUTIO: Hi in vanum laborant: quia opinio subsequens non potest justificare precedentem actionem: vel enim antecedenter operati sunt bona fide & ex ignorantia, vel errore invincibili: & sic non peccarunt, nec confessionis opus habent: vel operati sunt mala fide, cum dubitatione practica aut ignorantia vincibili culpabili, non adhibentes aliquam diligentiam, ut scirent, an actus sit licitus vel illicitus; & tunc certò peccarunt pro ratione notitiæ, dubii, vel ignorantiae; ideoque absolutè confiteri debent. Patrit. cit. n. 33.

21. **A** varios sibi faventem RE ut in v tem ve non le Sanchez cept. 4. Rati lem sen proced Autho damen nione mare, terit.

22. **S** probal hanc, E. g. d ni dubi tia sunt sunt op posse in aliu in Elea CON

CONFERENTIA XIII.

21. **A**lius ante factum opus, de quo dubitat, an sit licitum, datâ operâ volvit & inquirit varios Authores, & opiniones, ut tandem reperiat sibi faventem, quid de hoc dicendum?

RESOLUTIO: Hic, si bona fide procedat, ut inveniatur sententiam vel opinionem sibi faventem verè probabilem, ac ratione vel fundamento non levis momenti nixam, tutò eam sequetur. Ita Sanchez l. 1. Moral. c. 9. & Francis. Bardi hic Discept. 4. c. 19.

Ratio verò est: quia operans juxta probabilem sententiam, non peccat. Quod si verò talis procedat mala fide, ut modò inveniatur aliquem Authorem sibi faventem, non curando, quo fundamento vel ratione nitatur; is certè ex tali opinione necque conscientiam practicè certam formare, nec consequenter licitè ac tutò operari poterit.

CONFERENTIA XIV.

22. **S**ubdit hic P. Patr. n. 35. quæstionem incidentalem; an in formanda conscientia probabili liceat pro libitu variare, ut puta modò hanc, modò illam opinionem probabilem sequi? E. g. de certo vectigali cujusdam terræ domini dubitatur, an sit justum, vel injustum? sententiæ sunt pro & contrà, utraque probabilis. Item sunt opiniones utrinque probabiles, voventem posse, & non posse propria autoritate votum in aliud opus æquale commutare v. g. jejunium in Eleemosynam, vel econtrà.

B 3

RE-

RESOLUTIO prima pro prima quaestione: potest viator sequendo opinionem probabilem *vectigal esse injustum*, illud defraudare; postea autem mutatâ sententiâ, *esse justum*, illud tributum emere, & ipsemet exigere. Ratio est: quia adhuc manet ei integrum, ut si demonstratur tributum fuisse justum, antea defraudatum possit restituere.

RESOLUTIO pro secunda parte: si devotulus vovit jejunium in vigilia Præsentationis B. V. Mariæ, & commutavit illud in Eleemosynam æstimatam æqualiter Deo gratam juxta sententiam affirmativam, *quod possit* & ita omisit jejunium; non potest postea sequendo aliam sententiam, *quod non potuerit commutare*, etiam omittere Eleemosynam. Ratio est: quia sic votum nullo modo servaretur, saperetque fraudem ac illusionem, nec maneret res integra. Ita Barthelemy cit. c. 14. & Patrit. n. 35.

CONFERENTIA XV.

23. **Q**uia alia est opinio probabilis intrinsecè, nixa scilicet motivo rationabili legis divinæ naturalis vel positivæ, atque in his fundatis iustis legibus humanis conformis est, vel non repugnat: alia opinio probabilis extrinsecè tantum, sive auctoritate doctorum; quaeritur hic, an liceat utramque sequi? pro qua fit

RESOLUTIO I. *Licitum est sequi opinionem verè probabilem intrinsecè.* Ita omnes: & ratio est: quia quod rectè & prudenter creditur licitum, etiam licitè fit, cum rectum ac prudens iudicium sequens non peccet: sed opinio verè probabilis intrinsecè nixa motivo rationabili, (et si in

certo
cat al
mata d
tice:
nion
RE
extrin
Auth
opini
comi
rius.
cit. n.
Pro
verè
mis v
tim d
quor
tas ab
gem,
go so
nem p
conco
allatis
rectæ
aucto
tam l
& co
sumpt
const
nem
mus
melit
certo

certo (speculative) recte tamen & prudenter judicat aliquid esse licitum: & conscientia inde formata est verus actus prudentiæ, & est certa practice: ergo licitum est in conscientia sequi opinionem vere probabilem intrinsece.

RESOLUTIO II. *Non licet sequi opinionem extrinsece tantum probabilem.* Id est, sola & mera Authoritas doctorum quorumlibet non fundat opinionem practice probabilem, sed solum concomitanter vel præsumptive. Ita Navarr. Azorius, Caspen, Marchant. & Bardi citati à Patrit. cit. n. 38.

Probatur: quia nulla opinio potest censerì vere & practice probabilis, nisi appareat conformis vel non dissona rectæ rationi, vel legi, præsertim divinæ: sed ex mera auctoritate doctorum quorumlibet formaliter non apparet conformitas aliqua opinionis ad rectam rationem vel legem, nisi hæc aliunde sciatur vel supponatur: ergo sola auctoritas doctorum non facit opinionem practice probabilem formaliter; sed solum concomitanter, id est, simul cum rationibus ab ipsis allatis, quas quis examinavit, atque probabiles, seu rectæ rationi vel legi conformes esse judicavit: auctoritas enim doctorum adjuncta rationi, multam habet energiam ad firmandam opinionem & conscientiam probabilem. Addidi, *vel præsumptive*, quia cum de veritate vel falsitate non constat, auctoritas doctorum facit præsumptionem pro probabilitate: præsumere enim possumus & debemus, tot graves auctores rationes melius penetrasse, quam nos sciamus.

CONFERENTIA XVI.

24. **C**ommunis est doctrina, opinionem communem cuiuslibet in praxi tuto sequendam nec facile ab ea recedendum: cæterum, quantum ad dicatur & sit opinio communis, hic determinandum est. Sit itaque

RESOLUTIO: Opinio communis tuto in praxi sequenda censei debet, non quæ à pluribus solo numero, sed quæ à probatoribus numero competenti ex professo defenditur, puta à sex vel septem. Ita Navarr. Man. c. 27. n. 259. Sanchez l. 1. moral. c. 9. & alii apud Bardi Discept. 4. c. 9. Fillucius Tract. 21. c. 4. ait quinque sufficere. Uade quando duæ oppositæ opiniones defenduntur à probatis & classicis doctoribus numero competenti v. g. sex aut septem, quælibet earum poterit dici communis: ut notant DD. cit. ubi contingit de *censu germanico licito vel illicito: de retentione in horis Canonicis: de Circumstantiis aggravantibus tantum confitendis vel non confitendis*. Ratio Authorum omnium est; quia auctoritas plurium DD. facit opinionem probabilem, saltem præsumptivè, adeoque tuto sequendam: de talibus enim merito præsumi potest, eos non levi fundamento ac ratione niti.

Dixi ab initio hujus Conferentiæ, *nec facile de ea, scilicet à communi opinione recedendum*. Etenim vir doctus licitè potest recedere à communi aliorum sententia, diligenter inspectis & consideratis ac solutis ejus fundamentis; & amplecti opinionem singularem, quæ sibi non levi motivo probabilis videtur: alioquin non licuisset recentioribus

bus toties recedere ab opinionibus communibus antiquorum. Quapropter in casu, quo quis in re quapiam non potest investigare veritatem, & tamen se debet necessario resolvere in alterutram partem, poterit in praxi securè sequi opinionem illam singularem, quam meminit se in aliquo probato & classico auctore legisse; aut à viro docto probòque audivisse, modò non constet evidenter esse falsam vel improbabilem. Uti notat Suarez hic tom. 5. disp. 40. Laym. & alii.

CONFERENTIA XVII.

25. **Q**uia opiniones oppositæ de eadem re videntur esse contradictoriæ (utpotè *census germanicus est illicitus; census germanicus est licitus: item ad horas canonicas requiritur attentio; ad horas canonicas non requiritur attentio: item res in dubio aliena est restituenda; res in dubio aliena non est restituenda: item commissio peccato mortali statim confitendum, vel saltem contritionem eliciendam; commissum peccatum mortale non est statim confitendum aut contritione eluendum*) necessariò una debet esse vera, & altera falsa: quomodo ergo potest utraq; esse probabilis? utraq; licitè sequenda?

RESOLUTIO: Inter opiniones diversas & oppositas de eadem re, quarum quælibet est verè probabilis, per se licitè quilibet potest sequi quamlibet. Ita communis.

Ratio est: Quia rationes utrinque probabiles æquè inclinant intellectum ad prudenter assentiendum uni & alteri parti: ergo cuilibet licet sequi quamlibet. Ad rationem in oppositum

Et dictas opiniones esse quidem speculative contradictorias; adeoque unam veram, falsam alteram speculative; at verò practice posse utramque esse veram; sic enim non sunt contradictoriae: contradictoriae enim absolute affirmant & negant idem de eodem secundum eandem rationem; at verò opiniones probabiles opposita affirmant & negant idem de eodem non absolute & secundum eandem rationem, sed probabiliter tantum, & secundum diversam rationem, utpote sub diversis motivis rationabilibus v. g. una proponit, *censum germanicum esse illicitum, quia sapit usuram, & à gravibus Doctoribus reprobatur*: e contra aliis videtur esse licitum, quia per modum censu explicari potest, & etiam à gravibus Auctoribus approbatur.

CONFERENTIA XVIII.

26. **P**orro quia opiniones illae oppositae aliquando sunt aequaliter probabiles & tuta, quandoque autem una altera probabilior vel tutior, aut minus probabilis, vel minus tuta, quae proinde tunc eligenda? ante resolutionem sciendum opinionem probabiliorē esse, quae apparet niti rationibus firmioribus, id est, rectae rationi vel legi conformioribus, aut est auctoritate graviore fulta: minus autem probabilem, quae minori ratione vel auctoritate fulcitur. Uterius opinio tutior dicitur, quae se sequentem magis removet à peccandi periculo; sicuti minus tuta, quae videtur magis accedere ad peccandi periculum. Potestque contingere, quod opinio probabilior sit minus tuta, & tutior minus probabilis. V. g. Si bona fide

fide possideas rem alienam, & postea subito dubio hæsites, an non sit alterius; probabilior, imò in praxi certa est sententia, posse te illam licite retinere ex principio illo juris, *in dubio melior est conditio possidentis*; est tamen minus tuta. E contra longe tutior est opinio, debere te illam restituere saltem pro rata dubii, sed & minus probabilis, cum nullus debeat spoliari possessione sua in re dubia, donec evincatur. Ratio est clara; quia illa sententia sine dubio est tutior, quæ magis removet à peccato: hæc autem posterior sententia, debere restitui, sanè magis removet à peccato: restituens enim excludit omne peccatum tam materialiter, quàm formaliter; quod non evitat non restituens secundum sententiam probabiliorẽ; quia si res revera sit alterius, retinendo eam peccat saltem materialiter. Hoc notato sit

RESOLUTIO: Etsi licitum & laudabile sit sequi opinionem probabiliorẽ & tutiorẽ (v. g. *cum attentione orare horas canonicas*) & sequi opinionem tutiorẽ, licet minus probabilem (v. g. *rem dubiè alienam restituere: commissio peccato mortali statim confiteri, vel contritionem elicere*) non tamen illicitum est etiam sequi opinionem probabiliorẽ, sed minus tutam; v. g. *rem dubiam retinere: peccatum commissum non statim confiteri: horas canonicas sine attentione persolvere, &c.* & sequi sententiam minus probabilem ac minus tutam. Ita P. Patricius Sporer, hic à n. 42. & ex ipso communis DD. Navarr. Sanchez. Vasq. Layman. Taner. Pasqualigus & Bardi.

Ratio

Ratio sumitur ex dictis : quia quilibet potest prudenter sequi opinionem *verè probabilem*, quæ scilicet nixa ratione alicujus momenti, vel auctoritate gravi, non est aliena à recta ratione : & *verè tutam*, quæ excludat revera peccandi periculum ; atque omnes istæ opiniones (*etiam minùs probabilis & minùs tuta*) sunt verè probabiles & tuta ; nil obstant, quod alia opinio opposita sit, vel appareat probabilior ac tutior ; quia major illa probabilitas & securitas oppositæ sententiæ non destruit probabilitatem & securitatem, quamvis minorem, opinionis alterius, quin appareat, maneat, que verè probabilis & tuta. e. g. Major bonitas actus virginitatis non destruit bonitatem actus conjugalis, quin sit & maneat verè bonus, ac tutò amplectendus : ergo, &c. Et sanè sapius, quæ apparent minùs probabilia, sunt magis vera, & econtrà, juxta illud ; *Multa falsa sunt probabiliora veris.*

Dices, juxta jura, *in dubiis tutior pars est eligenda* : & oportet tenere certum, & dimittere quod incertum est.

R. I. Id esse consilii & perfectionis in moralibus actionibus sequi semper id, quod optimum atque tutissimum videtur ; non tamen id est præcepti vel obligationis ; sed sufficit sequi, quod est verè bonum ac tutum.

R. II. Quòd, licet intellectus sit dubius & incertus speculativè de veritate vel falsitate hujus opinionis, non tamen manet dubius, sed omninò certus de ejus probabilitate, atque practicè certò se resolvit, licere sic operari conformiter ad opinionem

nionem verè probabilem ac tutam, licèt minùs probabilem ac tutam, quàm sit ejus opposita.

CONFERENTIA XIX.

Vir doctus pro se habet opinionem, quam ex principiis intrinsecis, non tantùm probabiliorem, sed omninò veram judicat; utpotè in recitandis horis canonicis requiri devotionem & attentionem internam; an in praxi etiam possit se qui sententiam oppositam?

RESOLUTIO est affirmativa cum *Patrit. cit. n. 44.* & apud ipsum *Vasq. Azor. Sanchez. Taner & aliis.*

Ratio autem est, quia cum hoc, quòd suam sententiam probabiliorem vel omninò veram, atque oppositam falsam judicet ex principiis intrinsecis & speculativè, quæ ipsi apparent insolubiles, adhuc stat, quòd oppositam sententiam aliorum Auctorum, extrinsecè saltem censeat verè probabilem practicè, adeoque tutò sequendam in praxi, suasque rationes ab aliis solvendas, vel etiam solutas, etsi ipsi solutio non occurrat. Et si

Objicias: nullus licitè potest agere id, quod probabiliter putat esse illicitum: sed sequens opinionem minùs probabilem & tutam præsertim contra propriam magis probabilem & tutam æstimatam, probabilius putat esse illicitum id, quod agit: igitur, &c. *R. Dist. M.* nullus potest agere id, quod putat esse illicitum *practicè C. M.* quod putat esse illicitum *speculativè tantum*, neque *M.* & similiter *dist. min. & Conseq.* Licèt enim talis juxta suam sententiam probabiliorem

liorem

liorem speculative judicet oppositum esse illicitum, scilicet voluntarie distrahi in horis canonicis; quia tamen etiam oppositam sententiam censet vere esse probabilem, inde practice certo se resolvere potest, licitum esse sic operari hinc & nunc, nec ullo modo illicitum.

Unde recte infertur, virum doctum alteri consilium petenti consulere posse, non tantum sua propria opinione (quam ipse ut probabiliorem tenet) sed etiam ex opposita probabiliorem sententia. v. g. Confessarius habet poenitentem, qui ob distractiones in horis canonicis recitandis occurrentes nimis anxius est, easque cum molestia solet repetere, potest poenitenti consulere, ut eas non repetat, etiamsi credat poenitens, se sub ipsis fuisse voluntarie distractum. Addit *Lap. cit. à Patrit. n. cit.* Etiam si doctor ille (vel Confessarius) oppositam aliorum sententiam omnino improbabilem aut falsam judicet, eamque ipse in praxi sequi non praesumat, posse tamen Consilium petenti, aut indigenti, significare, talem opinionem ab aliquibus viris doctis & gravibus defendi, quam proinde poenitenti sequi liceat: cum enim consulens in re dubia jus habeat se conformandi opinioni à viris doctis ut probabili defensionis (praesumendo, quod rationabili fundamento nitantur) non obstante, quod alii contradicant, poterit doctus vel confessarius consultus hoc ipsum jus consulenti vel poenitenti indicare. Unde sequitur sequens

CONFERENTIA XX.

28. AN quandoque quis etiam teneatur aut debeat sequi opinionem minus probabilem, vel minus tutam, etiam contra propriam probabiliorum ac magis tutam; v. g. Confessarius habet pœnitentem, qui in choro sub recitatione horarum canonicarum studio & voluntariè distrahitur ad pro tunc impertinentia, ut postea in cella solus constitutus eas (ut putat) cum debita attentione persolvat: nec vult valere priorem recitationem, ne forte peccet per voluntarias distractiones: interim ipsi valde molestum ac difficile est, extra chorum omnes horas repetere; ac proinde vel eas omittit, vel certè diutius differendo, se periculo omissionis frequenter exponit: quæritur ergò, an tunc confessarius sententiæ contrariæ non teneatur pœnitenti suadere, ut sequatur oppositam opinionem illorum doctorum, qui doceant non requiri attentionem mentis in horis canonicis, sed sufficere integram verborum pronuntiationem cum situ modesto?

RESOLUTIO est affirmativa. Ita *Patrit. cit.* n. 45. & 48. & ex ipso communior.

Ratio autem est: quia quilibet tenetur satisfacere obligationi suæ, quando id præstare potest sine peccato: sed dictus confessarius obligatur succurrere pœnitenti suo graviter periclitanti; nec potest commodius illi succurrere, quàm suadendo oppositam sententiam minus probabilem & minus tutam, scilicet eum non obligari ad repetendas horas canonicas distractè lectas: igitur ad hoc obligatur. *M. est certa. Minor constat*

ex

ex præcedenti Conferentia, quod id possit absque peccato: igitur, &c. Idem dicendum de subdito, cui Superior aliquid præcipit secundum sententiam verè probabilem (in proposito non repetere horas canonicas distractè peractas) qui proinde, contra propriam opinionem speculative probabiliorem & tutiorem visam, tenetur obedire: Ratio est eadem. Quia quidquid subditus licitè agere potest, præcipiente superiore etiam debet.

CONFERENTIA XXI.

29. **A**N prudenter & bene agant confessarii illi, qui non audent (contra suam opinionem) absolvere mittunt pœnitentes ad alium confessarium, qui sit ejusdem cum pœnitente opinionis? *R.* Eos ineptè agere: si enim alter poterit absolvere, cur etiam tu non possis? aut cur tua speculativa persuasio pœnitenti in re tam gravi obesse debeat, qui supponitur bona fide tenere sententiam oppositam verè probabilem, habetque, peccatis jam confessis, jus ad absolutionem? cum ergò tu possis licite eum absolvere, omninò teneris.

Dices: Confessarius est verus & legitimus superior ac Judex pœnitentis, adeoque pœnitens est subditus illius: ergò tenetur suam propriam opinionem deponere & obedire superiori. *R.* Confessarium non esse pœnitentis superiorem absolute & simpliciter, sed solum limitatè in ordine ad peccata ab ipso ad tribunal pœnitentiae allata: pœnitens autem non peccat sequendo

opinio-

opinionem verè probabilem, quæ à doctoribus probabiliter defenditur: nec consequenter tenetur confessario suam opinionem probabilem subijcere; neque quoad hoc confessarius tanquam subdito quidquam præcipere potest.

CONFERENTIA XXII.

30. **U**Xor, ut placeat viro suo, utitur profano illo ornatu moderno, & nuditate circa collum ac pectus; quam proinde confessarius non libenter absolvit, nec commodè dimittere potest: quæris itaque quid faciendum?

R. Posse & debere illam absolvere à peccatis confessis, si fortè habeat opinionem probabilem, se posse ita incedere ad placendum marito: patet ex dictis, scilicet licitum esse, sequi quamlibet opinionem probabilem ex oppositis. Quod si autem advertat ex confessione talem ornatum fore causam ruinæ, vel proximum periculum peccati proprii vel alieni in futurum, dehortari eam debet, imò & præcipere, ut à simili ornatu abstineat. Ratio est: quia etsi *per se* liceat quamlibet opinionem probabilem sequi; *per accidens* tamen multa obstarè possunt v. g. in proposito periculum peccati opinioni probabili connexum; *quia qui amat periculum, peribit in illo*. Item obstat possessio alterius pactis, quæ omninò enervat probabilitatem oppositam. Quantumvis enim tibi probabile sit, rem ab altero bona fide possessam esse tuam, non tamen licitè potes eam tibi vendicare, vel occultè surripere, donec eam certò evincas. Hinc si sint rationes utri-

Pars II,

C

que

que probabiles, quòd legatum ex testamento minus solemni sit validum & invalidum; si quidem rem legatam jam bona fide possides, licitè retines; quia juvat te possessio: at ab hærede possidente non potes licitè auferre; quia possessio ipsum juvat. Sed de his plura paulò post

CONFERENTIA XXIII.

31. **C**irca dicta de qualibet probabili opinione licitè sequenda est specialis controversia inter divites de articulo mortis: an scilicet tunc etiam liceat sequi opinionem minus probabilem vel minus tutam. Affirmativam docent, Joan. Sanchez in Select. Disp. 19. n. 8. Lugo de pœnit. Disp. 17. Sect. 3. n. 273. Gobat & alii. Negativam Sanch. l. 2. moral. c. 1. n. 6. Nobis sit cum Pat. hic n. 50.

RESOLUTIO. In articulo mortis non sunt adigendi homines ad sequendas sententias magis tutas vel magis probabiles, quamvis sic consulendum sit. Ratio est: quia opinio, quæ de peccato & salute securam reddit conscientiam ad operandum in vita, tutam quoque reddere debet in articulo mortis; cum in utroque tempore æqualiter constringatur homo vitare peccatum: alioquin sequeretur, quòd homines in articulo mortis deberent confiteri, se per decursum vitæ citrà necessitatem fuisse secutos sententias minus probabiles, vel minus tutas; quod est contra usum ac praxim tantum pœnitentium, quàm confessoriorum. Dixi, *quamvis sic consulendum sit.* Nam in articulo mortis & aditu æternitatis omninò charitas Dei & sui ipsius

exigere videtur, ambulare via quoad potest seculari. Idque maximè, si agatur de necessariis ad salutem necessitate medii: v. g. de dolore requisito ad validam absolutionem; quia licet opinionis probabilitas, sufficere attritionem cognitam, excuset à peccato formaliter, non tamen supplet necessaria necessitate medii.

CONFIDENTIA XXIV.

32. **A** Liter à prædictis, de securè sequenda opinione minus probabili & minus tuta, sentiunt communiter doctores de Ministro Sacramentorum: de Medico & Chyrurgo: de iudice, consiliario & Advocato: de quibus proinde sit

RESOLUTIO universalis: Quando potest praticari sententia certa, vel practice probabilior, nunquam licet sequi opinionem speculative tantum vel minus probabilem, quoties agitur non de sola honestate actionis operantis, sed etiam de valore vel efficacia actionis in ordine ad aliquem effectum dubium cum periculo peccati vel gravis mali; idque saltem vi pacti alicujus impliciti tali officio vel exercitio annexi. Ita *Patrit. cit. n. 50.* ex communi doctrina apud *Laym. Marchant. Bardi, &c.*

Ratio universalis est; quia quando adest & praticari potest sententia certa, vel practice probabilior (scilicet in ordine ad aliquam actionem exercendam, quæ sit efficax ad aliquem effectum dubium cum periculo peccati, vel alterius gravis mali) tunc opposita opinio practice nec probabilis, nec tuta censenda est sed periculosa: atqui

voluntariè relinquens sententiam certam ac tutam nullaque urgente necessitate sequens opinionem practicè incertam ac periculosam, convincitur voluntariè exponere periculo peccati, vel alterius gravis mali; & consequenter actu peccare igitur, &c.

Dictum est in Resolutione, quando agitur non sola honestate actionis, sed de valore & efficacia ad aliquem effectum dubium cum periculo peccati, vel alterius gravis mali. Quia nimirum ipsa honestas actionis pendet solum à prudenti dictamine rectæ rationis: quæcunque ergo opinio (minus vel magis probabilis ac tuta) rectæ rationi conformis est, eam licitè sequitur. At verò valor vel efficacia actus respectu sui effectus, non pendet directè & principaliter à dictamine rectæ rationis, sed aliunde ex propriis principiis, v. g. *Valor Sacramentorum ad causandam gratiam, ab institutione Christi per Ecclesiam tradita: efficacia medicina ad conferendam sanitatem, ex natura & qualitate rei applicate: æquitas iudicii ex merito causa, &c. dependet;* atque ad ejusmodi actus validè & cum effectu exercendos accedit distincta obligatio, utpotè *Religionis charitatis, vel etiam justitiæ ex vi pacti saltem impliciti in tali officio vel exercitio suppositi;* uti mox per exempla demonstrabitur: igitur in ejusmodi exercendis actibus non sufficit sequi quodlibet iudicium vel dictamen nostræ rationis, quomodolibet probabilis; sed oportet sequi iudicium & opinionem quoad fieri potest, certiozem & securiozem excludentem periculum nullitatis cum periculo peccati, vel gravi damno proximi. Unde

Sequ

Sequitur I. Licet *probabile sit speculativè* dari materia parvitatem circa castitatem quoad aliquos aspectus vel tactus impudicos, minimè tamen *probabile practicè*, ob gravissimum periculum in materia tam picea. II. Esto probabile, appareat venatori, id, quod videt in vepribus, esse feram, inde tamen non fit probabile practicè, quod possit ejaculari in illud ob periculum, nè fortè sit homo, & sic committat homicidium. Ex dictis in hac Conferentia solvuntur etiam seqq.

CONFERENTIA XXV.

33. Probabile est, aquam rosaceam, cerevisiam, lixivium, & carnis brodium esse substantialiter aquam: item ordinariam formam Baptismi, Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, æquipollere alteri; Ego te baptizo in nomine genitoris, & geniti, & spirati: licetne ergo in administratione Baptismi Ministro se accommodare his opinionibus probabilibus?

RESOLUTIO: non licet; nisi necessitas aliud urgeat. Ita doctores communiter. Et indicat S. Augustinus lib. I. de Baptismo, contra Donatum dicens; *graviter quis peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, eo solo, quod certis incerta proponeret.* Cum ergo certa & tutissima sit sententia ex institutione Ecclesiæ ad validè administrandum baptismum, requiri *aquam naturalem*, & hanc formam à Christo præscriptam, *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, idque sit ad animæ salutem necessarium, secundum S. Augustinum graviter peccat, qui adhibet aliam materiam vel formam.

Dictum est autem in Resolutione, *nisi necessitas aliud urgeat*: quia quando sententia certa practica cari nequit, & necessitas urget, utique recurrendum est ad opiniones speculative probabiles; sic in casu extremæ necessitatis, in qua nil aliud occurrit nisi lixivium vel cerevisia ad baptizandum, potest formare conscientiam ita licere, imò debes ea adhibere baptizando potius cum periculo nullitatis Sacramenti, quam puerum sine baptismo relinquere certæ damnationi.

CONFERENTIA XXVI.

34. **P**orrò prædicta omnia intelligenda sunt quoad *essentialia*, quæ scilicet dependent ab institutione Christi. Nam quoad *Jurisdictionem Ecclesie* licet quis potest sequi opinionem verè probabilem, etsi minus certam, etiam in administratione Sacramentorum; ut si habeas opinionem probabilem, quod vi privilegii tui, vel concessionis factæ à Papa vel Episcopo, possis absolvere tali casu vel censura: assistere tali matrimonio, potes absolvere vel assistere; quia quoties est probabilis opinio de similibus dependentibus ab Ecclesie potestate, ipsa ex consensu tacito, & de præsentatione ratihabitione supplet, seu confert jurisdictionem certam. Ita docent Sanchez. lib. 3. de Matrimonio. disp. 22. n. 65. Suar. Less. & alii apud Tambur.

CONFERENTIA XXVII.

35. **M**edicus & Chyrurgus in medicinis applicandis tenentur sub mortali sequi sententias certas & securas, relictis incertis & dubiis. Ita omnes. Et quòd si certa curatio non occurrat, tenentur

nentur sectari opinionem probabilio-
 rem, posthabitis minus probabilibus. Ita docent communiter
 Doctores Navarr. Man. c. 25. n. 61. Sanch. l. 1. mo-
 val. c. 9. n. 40. & alii. Ratio est: quia ultra obli-
 gationem generalem *charitatis*, quâ tenemur melio-
 ri seu efficaciore modo, quo possumus, auxilium
 ferre proximo graviter indigenti, hic etiam ac-
 dit obligatio *justitiæ*. Cum enim æger vel læsus
 committit se curandum Medico vel Chyrurgo, &
 hic illius curam suscipit, intercedit inter eos pac-
 tum (implicitum) de adhibendis remediis, quæ
 magis salutifera videntur, si hic & nunc præ mani-
 bus haberi possunt: ergo Medicus vel Chyrur-
 gus peccat contra pactum (*justitiæ*) si omisso
 medio certo & securo, vel saltem probabiliori, in-
 certum vel periculosum solum experiendi gratiæ
 adhibeat, ut quidam ait: *Experimenta per mortes*
quarunt, ut notat Laym. hic §. 3. n. 15. Quod si
 verò ægrotus extremè laboret, ut certum, vel vero-
 simillimum sit esse moriturum, nisi aliquo remedio
 utatur, & nil aliud occurrat, poterit Medicus adhi-
 bere quodcunque remedium (et si minus securum,
 vel dubium, ne fortè mortem acceleret) dummo-
 do certè non constet esse mortiferum, & probabili-
 tas juvandi superet periculum nocendi; atque ipsius
 infirmi vel consanguineorum consensus accedat.
 Ratio est: quia cum ex una parte vita infirmi jam
 desperata sit; ex altera autem parte spes sit vel pro-
 babilitas remedii, prudenter aget Medicus adhi-
 bendo hujusmodi remedium dubium. Ita Sanch.
 Vasq. Laym, & Communis.

CONFERENTIA XXVIII.

36. **N**on minus tenetur Judex in ferenda sententia inter partes litigantes in causis civilibus sequi opinionem probabiliorem, juriq; conformiorem: *ita Sylves. Vasq. Taner. & alii apud Patrit. n. 60.*

Ratio est: quia Judicis à Republica instituti officium, adeoque ex pacto tacito inito cum Republica obligatio oritur ferre sententiam secundum merita causæ & rectam rationem: atqui recta ratione per se constat, quòd ea pars litigantium, quæ causam suam in judicio probabiliorem ostendit, secundum leges & rationem magis mereatur sententiam pro se, quam contra se: ergo Judex in ferenda sententia semper debet sequi opinionem probabiliorem, in favorem scil. illius partis, pro qua stat opinio probabilior.

Sed quid si utriusque partis litigantis causæ æquè probabilis sit? Respondet *Valent. Sayr. & alii*, tunc in Judicis arbitrio esse adjudicare causam, cui parti voluerit. Sed hæc responsio nostro Patrio non arridet, sed debere concordare partes per transactionem, utpote dividendo rem controversam inter partes in re vel in pretio; quocum sentiunt *Sanchez. Laym. Bardi, Tambur. & alii*. Etratio valida est, quia juxta Juris regulam, in judicio non est habenda acceptio personarum: quis autem non videat esse verissimam acceptionem personarum, & ab æquitate alienum, quando duæ partes æquale jus habent, & æquè probabiliter probant, judicem totum uni adjudicare? igitur, &c.

CONFERENCE XXIX.

37. **A** Neadem sit ratio de Consiliariis & Advocatis, quæ de iudicibus, circa opiniones magis vel minus probabiles consulendas aut promovendas?

RESOLUTIO I. *De Consiliariis.* Hi in consiliis dandis tenentur sequi (quantum fieri potest) sententias certas vel saltem probabiliores. Ita ex communiori *Vasq. Opusc. de restitut. c. 6. §. 3. Bardi Dilept. 4. c. 22. & alii.*

Ratio est: quia consilarii in consiliis publicis de necessitatibus Principis vel Reipublicæ (dum v, g. consultatur de tributo aliquo imponendo, sitne verè necessarium ac justum) habent se per modum iudicum inter principem vel Rempublicam & subditos, tanquam partes litigantes, ut consultivum iudicium ferant: ergo sicut iudices inter partes litigantes, ita & consilarii inter principem & subditos, tenentur sequi sententiam certam vel probabiliorem, in favorem scilicet illius partis, pro qua stat opinio probabilior.

RESOLUTIO II. *De Advocatis.* Advocatus in patrocinando partibus, non tenetur eligere causam probabiliorem, sed licitè potest suscipere causam minus probabilem vel dubiam, dummodo non manifestè iniquam sed probabilem iudicet, et si pars adversaria sit probabilior & faciliùs obtinenda. Ita *comm. Navar. c. 25. n. 28. Sanchez. Laym. Bardi. Patr. & alii apud ipsos.*

Ratio est: quia quando causa dubia vel controversa est, cuivis permittitur tueri seipsum, suamque

partem, quam diu potest, etsi causa sua sit minus probabilis, dummodo verè probabilis, & non manifestè iniqua appareat; & consequenter etiam permittitur ei litem cum adversario contestari, atque propositis juribus ac rationibus suis, iudicis discretis sententiam postulare: atqui juxta regulam juris 68. in 6. *Potest quis per alium facere, quod potest facere per seipsum*: ergo etiam Advocato licebit defendendam suscipere partis litigantis causam, etsi minus probabilem & dubiam, modo manifestè iniqua non appareat, sed diligenter inspecta ac comperta causæ sibi propositæ æquitate clienti sincerè aperiat, quantam probabilitatem seu spem victoriæ habeat, paratus, quam primùm abstinere, si in progressu litis iniquitatem manifestè apprehenderit: quo casu, si citrà suam culpam causâ cadat, salarium nihilominus jure merebitur.

De Conscientia dubia.

Conscientia dubia tunc est, quando intellectus de re agenda vel non agenda suspensus manet, & nequit se in unam vel alteram partem resolvere, an scilicet aliquid liceat, vel non liceat: an res, quam possideo, sit mea vel aliena: an matrimonium contractum sit validum, vel invalidum, &c. Unde

Dubium I. Aliud est *Negativum*, quo scilicet intellectus suspensus manet inter utramque partem, ex eo, quod nullum occurrat motivum, seu nulla ratio sive assentiendi, sive dissentendi, v. g. an numerus hominum in mundo sit par vel dispar. Aliud est *positivum*, quo intellectus suspensus manet

net inter utramque partem ex eo, quod occurrant motiva omninò æqualia pro una & altera parte.

II. Dubium aliud est *speculativum*, aliud *practicum*: illud est, quo dubitatur præcisè de veritate aliqua: v. g. an si Adam non peccâisset, Christus fuisset nihil ominùs venturus: *Hoc autem est*, quo dubitatur de re aliqua operabili: atque id dividitur in *speculativè practicum*, quo dubitatur de re operabili seu ipsa operatione, ejùsque honestate, abstrahendo à circumstantiis particularibus, & sine ordine ad operationem sive praxin: v. g. *an die festo liceat pingere: iter agere, &c.* Et in *dubium practicè practicum*, quo dubitatur de actione, ejùsque honestate in particulari, seu hic & nunc exercenda in certis circumstantiis particularibus, v. g. *an debeam hanc confessionem repetere: an hic & nunc liceat ludere, bibere, &c.* Atque in hoc dubio præcipuè consistit conscientia dubia.

III. Aliud iterum est *Dubium Juris*, quo dubitatur de aliquo jure, lege, præcepto, vel statuto, &c. præsupposito ad honestatem actionis exercendæ. Ut: *an sit lata talis lex: quomodo obliget: an comprehendat hunc vel illum casum: an in his circumstantiis me obliget, &c.* Aliud *Dubium facti*, quo dubitatur de aliquo facto, ejùsve conditione spectante ad honestatem actionis exercendæ: v. g. *an votum sit omissum: an solutum: an Horæ recitata: an hoc peccatum sit confessum, &c.*

IV. Alia denique est conscientia intrinsecè, & alia extrinsecè dubia: *conscientia intrinsecè dubia* consistit in dubio practicè practico, seu dubio Juris particulari; quando nimirum Intellectus de honestate

nestate

nestate actionis hic & nunc exercendae dubitat, an sit honesta vel licita, & manet suspensus, ut in neutram partem se possit resolvere. *Conscientia extrinsecè dubia* dicitur, quando intellectus solum de ipso objecto secundum se manet dubius (dubio scil. speculativo juris vel facti) non verò de ipsa honestate actionis hic & nunc dubio practico: v. g. dubitas *speculativè*, an res, quam possides, sit tua: *practicè* verò, an eam restituere tenearis. Tandem facta diligenti inquisitione, nec inventa ulla ratione potiori pro una, quàm pro altera parte, perseverante dubio, an res sit tua, inaudis principium illud juridicum: *In dubio melior est conditio possidentis*, resolvit te, *non debere rem illam restituere*, non obstante, quod conscientia maneat dubia extrinsecè (stante scil. adhuc dubio speculativo, an res sit tua) intrinsecè & formaliter non est amplius dubia, sed resoluta per exclusionem dubii practici, *an debeat restitui*. His bene notatis non adeo difficile erit intelligere conferentias, earumque resolutiones sequentes: sit itaque in ordine

CONFERENTIA XXX.

39. **C**ertum utique est, quod Apostolus ad Roman. 14. scribit. *Quod non est ex fide, peccatum est*. Hoc est, ut exponunt DD. quod non sit ex certa credulitate seu ex determinato iudicio licitum esse, quod hic & nunc agitur, peccatum est. Quæritur ergo, an cum dubio nunquam liceat operari: vel an semper peccet, qui cum dubio operatur?

RESOLUTIO: Cum conscientia intrinsecè dubia, stante scil. dubio practico, seu dubio juris

juris particulari de honestate actionis hic & nunc exercendæ, vel periculo peccati annexo, nunquam licet operari; ita ut semper peccetur pro ratione materiæ & dubii. *Est certissima apud omnes, &c.*

Ratio est: Quia omnis sciens & volens exponens se periculo peccandi peccat; & quidem eodem genere peccati cujus periculo se exponit. Juxta illud *Eccl. 3. Qui amat periculum, peribit in illo*: sed agens cum conscientia intrinsecè seu practicè dubia de honestate actionis hic & nunc exercendæ, vel cum periculo peccati annexo, is sciens & volens se exponit periculo peccati: eligit enim hanc actionem, sive bona sit, sive mala, quasi dicat; sit peccatum, sive non sit, ego tamen volo agere, &c. Ideoque eo ipso implicite censetur eligere malum: consequenter eo ipso peccat pro ratione materiæ, de qua agitur, & pro ratione dubii. Id est, si dubitet, an talis actio vel omiffio sit peccatum mortale, operans vel omittens peccat mortaliter: si verò dubitet de veniali, venialiter: si denique dubitet generatim & indistinctè de peccato, probabiliter peccabit tantum venialiter. Ita *Patrit. hic n. 17.* & iterum n. 69.

CONFERENTIA XXXI.

40. **V**ulgatum est ex Jure Canonico dictum illud; *in dubiis tutior pars est eligenda*. Quæritur ergo an hæc sit Regula universalis, & semper observanda

41. **RESOLUTIO I.** *In dubiis tutior pars est eligenda*, est dictum universaliter verum, quantum ad consilium & perfectionem.

Ratio

Ratio est evidens: quia semper consultius est & perfectius, in quovis dubio eligere partem tutiorem: sic enim certò evitantur pericula peccandi.

42. RESOLUTIO II. At certè non semper necessarium est seu de præcepto, *in dubiis tutiorem partem eligere*. Patet ex explicatione hujus dicti: *Ly enim tutior pars*, non debet accipi comparative ad positivum; Utpote *tutior quam tuta*; Quasi sensus esset: quando utraque pars est tuta, tutiorem partem esse eligendam; cum in operando liceat sequi quamlibet partem verè tutam, juxta supradicta de conscientia probabili: sed *ly tutior*, accipiendum est comparative ad oppositum; scilicet *tutior, quam non tuta non secura, periculosa, &c.* Ut sensus sit; quodcumque una pars dubii est certa, tuta, secura, & omne periculum peccati excludit; altera autem pars non est certa, tuta, secura, sed periculosa, tunc illam tutiorem eligendam esse. Ita sine dubio sentiunt omnes.

42. RESOLUTIO III. Necessariò autem tutior pars eligenda est in dubio practicè pratico v. g. actionis hic & nunc exercendæ, an hic & nunc aliquid liceat; puta *hodiè comedere carnes?* Ratio est: quia stante tali dubio, una tantum pars tuta est (scilicet *abstinere*) altera autem pars (*comedere*) simpliciter est non tuta, estque periculosa de peccato: igitur necessariò eligenda est pars tutior quamdiu stat hoc dubium.

43. RESOLUTIO IV. Tutior etiã pars eligenda est in dubio speculativo: versante circa valorem vel efficaciam actionis exercendæ v. g. Sacramen-

ti conficiendi, &c. patet ex supra dictis de Ministro Sacramentorum, Medico, & Chyrurgo. Excipe materiam *justitia*, in qua *melior est conditio possidentis*, non obstante, quod pars opposita sit tutior.

44. RESOLUTIO V. Stante dubio speculativo Juris vel facti v. g. *an res hac res mea sit: an matrimonium contractum sit validum*: si post diligentem inquisitionem dubium superari nequeat, absque ulla speculativa resolutione, potest eligi pars minus tuta; scilicet *retineri res dubia: dubio matrimonio uti*. Ita *communior Suarez. Sanchez, &c.*

Ratio est: quia lex invincibiliter ignorata, vel non sufficienter proposita seu intimata non obligat, ita omnes: sed idem est de lege post sufficientem inquisitionem dubitare, ac eam ignorare: ergo in dubio juris non est obligatio ad tutiorem partem.

Unde Miles de justitia belli dubitans potest nihilominus militare, alius rem dubiam possidere: tertius, qui invincibiliter dubitat, an votum emisit, non tenetur voto, &c. quia is etiam habet possessionem libertatis.

Petes: quare ergo Pontifices statuunt, in particulari dubio patrati homicidii, Clericum debere abstinere à sacris, tanquam irregularem? R. id eos statuisse ob majorem convenientiam & reverentiam tanti Sacramenti & sacrificii, nè, si fortè clericus revera homicidium, de quo dubitat, patriverit, in administrandis hujusmodi
Sacra-

Sacramentis aliquam irreverentiam committat, ex
Patrit. n. 72.

CONFERENTIA XXXII.

45. **D**ubitas *speculativè*, an pro hoc die sit indictum Jejunium, & consequenter etiam *practicè*, an hodie debeas abstinere à carnibus: quid faciendum?

RESOLUTIO: Ante omnia debes adhibere moralem diligentiam ad vincendum dubium illud, & ad veritatem cognoscendam; quam si deprehendere nequeas, ita ut dubium speculativum maneat, tutissimum est jejunare: quod si tamen tibi occurrit aliqua rationabilis causa vel motivum non esse obligationem jejunandi, quia forte vides exemplum bonorum in contrarium, vel habes auctoritatem viri fide digni, potes te resolvere ad manducandas carnes. *Ex Patrit. n. 74.*

CONFERENTIA XXXIII.

46. **D**ictum est jam sæpius, *in dubio melior est conditio possidentis*. Quid si possidens jam ab initio possessionis fuerit dubius, an res non sit aliena?

R. Ut in dubio melior sit conditio possidentis, debet possessio fuisse bona fide ante exortum dubium & hoc exorto tenetur possessor diligentem inquisitionem instituire, num res possessa sit obnoxia restitutioni: quâ factâ si veritas non appareret, potest se *practicè* resolvere, licere sibi rem illam retinere, usurpare, absumere, alienare, non obstante dubio speculativo: & si postea Dominus rei compareat, ad nullam obligatur restitutionem,

nem, nisi quod adhuc restat, vel quantum inde di-
 tior est factus. Ita *communissima cum Sanchez. l. 2.
 de Matrim. Disp. 41. q. 2. Laym. Dian. &c.* Ratio
 autem est: quia in tali casu secundum jura dubius
 non est spoliandus in foro externo: ergo neque
 in foro interno; quia forum internum externo
 conformari debet, quando forum externum non
 innititur falsæ præsumptioni, ut latè probat *Sanchi.
 cit. l. 1. de Matrim. Disp. 5. n. 20.* atque

Hinc sequitur, si quis in tali dubio à bonæ fidei
 possessore rem sine auctoritate judicis auferat, ob-
 ligari ad restitutionem: Item si post matrimonium
 bona fide contractum superveniat dubium de il-
 lius valore, ob latentis alicujus impedimenti sus-
 picionem, sic dubitans ante omnia tenetur adhi-
 bere moralem diligentiam ad inquirendam verita-
 tem, & interea à petendo debito abstinere: & facta
 inquisitione, si dubium perseveret, potest & red-
 dere, & petere debitum: ratio est; quia dubium
 superveniens bonæ fidei possessori obesse non de-
 bet: neque hic adest, periculum peccati, seu for-
 nicationis formalis; quia esto matrimonium esset
 re ipsa nullum, tamen probabilis & invincibilis
 ignorantia in bonæ fidei possessore à peccato ex-
 cusat. Porro si uterque conjux mala fide contra-
 xit cum dubio impedimenti dirimentis, neuter po-
 terit petere aut reddere debitum; quia jam neutri
 suffragatur possessio dubiâ fide incepta.

CONFERENTIA XXXIV.

47. **E**X jure civili I. In bello. ff. de captivis postlimi-
 nio reversi. In dubio non præsumitur factum,
 Pars II. D sed

sed demonstrari debet. Quæritur, an hoc dictum universaliter admittendum sit?

RESOLUTIO : Universaliter verum est quando dubitatur de facto principali, ut *an veris : an percusseris, &c.* solo excepto, nisi in casu particulari jus aliud statueret, ut de facto in casu homicidii in ordine ad irregularitatem statuit. *At* verò quando jam constat de facto aliquo principali, & dubitatur solum de altero facto accessorio non est universaliter verum, sed amplam patitur exceptionem. I. *In dubio factum præsumitur, quando de jure faciendum erat : aut si ita ordinariè fieri soleat : aut si ita fieri sit favorabile facient.* Ita *Laym. c. 5. §. 4. n. 32. & alii.* II. *Ex glossa in l. de contrahenda. ff. de regulis juris.* In dubio non præsumitur actum aliquem v. g. *donationis, legati, &c.* intervenisse: si autem constet tale aliquid factum, potius ut validum, quàm ut irritum pronuntietur. Unde si constet, hominem quidpiam egisse v. g. aliquid Deo vovisse : matrimonium contraxisse : testamentum condidisse : rem alienasse, &c. & dubitetur solum de accessoriis jure debitis, vel fieri solitis, ea merito facta præsumuntur, v. g. quòd adhibuerit sufficientem deliberationem : animum se obligandi : implendi solemnitates de jure ad talem actum requisitas, &c. Quia nimirum rationabile est, ut magis existimetur, aliquem munus suum rectè obiisse, atque in eo, quod egit, nihil necessarium omisisse : *Delictum enim vel defectus non præsumitur, sed demonstrari debet.* Quæ vel maximè vera sunt in materia favorabili operanti. Quò etiam referri debet, quòd, qua-

quando
Matrim
ti, &c
cientes
sumpti

48. D
fensu :
tam, p
de ejus
abroga
lutione

RES
tatur, a
mo ma
tio est
obligat
est, &

I. D
junium
ris jeju
quo Au
ma edi
ticè pu
obstat
tiri esse
non ha
tibus,
per leg
stet, ita

quando constat de actu externo ritè peracto v. g. Matrimonii contracti : Religioſe profeſſionis : teſtamenti, &c. in dubio præſumantur actus interni ſufficientes ac requiſiti adfuiſſe, ſi accedat alia præſumptio in oppoſitum.

CONFERENTIA XXXV.

48. **D**ubitatur aliquando de lege aliqua lata, promulgata, recepta, aut de certo ejus ſenſu: aliquando autem conſtat legem fuiſſe latam, promulgatam & receptam; dubitatur autem de ejus obligatione pro tali caſu, vel etiam de ejus abrogatione: quæritur ergò hic de utriusque reſolutione; ſit itaque

RESOLUTIO I. Quodocunque verè dubitatur, an lex ſit lata, promulgata, vel recepta, homo manet in ſua poſſeſſione contra legem. Ratio eſt clara; quia tunc certa eſt libertas, & dubia obligatio; conſequenter eligi poteſt, quod certum eſt, & relinquì, quod dubium e. g.

I. Dubitas, an pro hac vigilia ſit indictum jejunium: aut hodie hujus ſancti feſtum: non teneris jejunare, vel Miſſam audire. II. Legis in aliquo Authore novam aliquam conſtitutionem Romæ editam, nescis autem, vel dubitas, an authenticè publicata ſit in tua patria, non obligat. Nec obſtat eam eſſe Romæ publicatam, adeoque ſortiri eſſentialem vim obligandi omnes Chriſtianos, non habet tamen vim actu obligandi in aliis partibus, niſi ubi obligatione publicata eſt, ut puta per legatos, Episcopos, Prælatos, ut nobis conſtet, ita *Marchantius. Tribunalis p. 2. tr. 2. tit. 8. q. 5.*

in Appendice. III. Dubitas, an lex aliqua præcipiens vel prohibens sub pœna Excommunicationis vel alterius Censuræ, unquam fuerit usu recepta, & vim obligandi obtinuerit; quia scilicet nihil constat de ejus usu: potes ergo præsumere, non esse usu receptam, præcipuè si videas alios communiter agere oppositum. Ratio est, quia dubitas de aliquo essentialiter requisito ad obligationem legis; ideoque possessio non stat pro lege, sed pro subditorum libertate. Ita *cum Patrit. lib. n. 81. Azor. & Castropal.* IV. Similiter quando verè dubitatur, an consuetudo aliqua hæctenus observata in communitate v. g. celebrandi certum aliquod festum: servandi certum aliquod jejunium: peregrinationem obeundi, &c. habeat vim aliquam obligandi, an solum devotionis & honestatis; potius inclinandum est ad eam partem, quod sit consuetudo devotionis quàm obligationis: quia generalis regula est: quòd in dubio nemo præsumitur velle obligari: neque expedit multiplicare præcepta, ubi moraliter certa non sunt, aut saltem probabilia. Ita *Suar. de legibus l. 7. c. 15. Rebell. Dian.*

RESOLUTIO II. : Quando constat legem aliquam fuisse latam, promulgatam, receptam, dubitatur autem de ejus obligatione pro tali vel tali casu, vel de ejus abrogatione, tunc lex est in possessione suæ obligationis contra dubitantem. Ratio est, quia obligatio est certa, dubia liberatio.

Unde si v. g. I. Constet legem esse latam de non portandis armis: de non comedendo vel bibendo

bendo extra monasterium; dubitas autem an talis lex non sit abrogata, vel an per non usum cessarit: teneris obligatione legis, quia pro illa stat possessio. II. Constat me emisisse votum, vel juramentum; dubito autem, an dispensatum vel irritatum sit: aut si dispensatum, tamen dubia fuit dispensandi potestas: certum est me manere obligatum; quia certa obligatio Voti, vel juramenti non potest tolli dispensatione dubia. III. Constat hodie esse indictum jejunium, dubitas verò an te obliget propter laborem vel iter peractum; teneris jejunare: quia certa obligatio dubia excusatione non tollitur: petenda itaque erit dispensatio à superiore. Ita communis. IV. Eodem modo resolvendum est; quando dubia est causa excusans ab auditione sacri: à recitatione horarum, &c. Quo casu optimum est se conformare judicio medici, qui si asserat recitationem nocituram, certè deobligaberis vel in parte, vel in toto, prout Medico videbitur.

CONFERENTIA XXXVI.

50. **C**onstat latam esse legem pœnalem Excommunicationis, suspensionis, interdicti, vel etiam Irregularitatis incurrendæ ab eo, qui certum aliquod delictum commiserit: Jam verò invincibiliter dubitas *dubio facti*, an commiseris tale factum vel delictum; quæritur, an tenearis subire tales pœnas Excommunicationis, suspensionis, &c.

RESOLUTIO: Nemo censendus est ligatus, quando verè dubitat, an comiserit delictum, propter quod constat decretam esse pœnam, Cen-

suram, &c. *Excepta sola irregularitate ex delicto homicidii voluntarii, constante corpore delicti.* Hanc ponit pro regula generali Patrit. hic n. 83. &c.

Patet, quia delictum commissum, est factum fundans legem pœnalem; & quia in dubio specialiter non præsimitur delictum commissum, non potest inducere obligationem pœnæ: igitur, &c. Atque hinc si verè invincibiliter dubites, an homo à te percussus fuerit clericus, & an idcirco sis excommunicatus, non debes te censere excommunicatum, sed potes licitè audire sacrum, aliâque omnia excommunicatis prohibita facere; quia scilicet in dubio non præsimitur factum: sed melior est conditio possidentis: cum ergo quilibet habeat jus communicandi cum fidelibus in sacris & politicis, non debet in dubio eo jure spoliari.

II. Similiter si dubites, an alius sit excommunicatus; aut scias esse excommunicatum, dubitas tamen, an sit non toleratus v. g. notorius percussor clerici aut nominatim denunciatus, non teneris ejus consortium devitare. Ita Filliuc. tom. 1. tract. 13. c. 7. n. 120. Dian. & alii. Ratio iterum est; quia aliàs faceres illi in juriam, cum in dubio melior sit conditio possidentis. Excipe tamen, nisi agatur de valore actûs; ut si velles confiteri ei, quem dubitas esse excommunicatum non toleratum.

III. Item si dubitatur an infans fuerit validè baptizatus ob materiam, formam, vel intentionem dubiam, v. g. quia fuit ablutus in solo pollice pedis: vel in aqua rosacea: vel ab ebrio, balbutiente, &c.

IV. Qui

IV. Qui verè dubitat, an emiserit votum, fecerit juramentum, vel aliam promissionem Deo vel homini: aut constat te aliquid mente decrevisse, dubitas autem invincibiliter an nudè proposueris, vel an verè promiseris, atque animum te obligandi habueris, & omnibus consideratis nulla pro voto præsumptio appareat; non teneris obligatione voti. Ita jam communior & in praxi tuta sententia. Ratio est: quia nulla est hic possessio pro voto, vel juramento, sed tota pro libertate voluntatis.

V. Constat tibi te fecisse votum, sed dubitas, an habueris intentionem te obligandi, an tenearis voto; R. omninò; quia possessio & præsumptio stat pro voto; nam in dubio præsumitur quisque potius rectè vovisse, cum debita intentione, quàm nugatoriè. Sed (ais) dubito, an habuerim sufficientem deliberationem, utpotè quia votum factum fuit ob metum mortis, ex morbo, naufragio, latrocinio, vel ob vehementem passionem iracundiæ, &c. An nihilominus maneam obligatus? R. affirmativè: quia in his casibus rarò contingit defectus deliberationis requisitæ; & ideò ex communiter contingentibus præsumitur sufficientem deliberationem adfuisse. Ita *Suar. de Relig. tom. 2. l. 4. n. 10. Sanch. l. 4. moral. c. 1. n. 13. Layman. & Diana.*

Dices te vovisse in tenera ætate & pueritia. R. si post septennium voveris, præsumeris habuisse usum rationis: si verò ante septennium, regulariter præsumitur defectus rationis. Ita *Sanch. cit. n. 14.* Et si etiam dubites, an expleveris septennium, etiam

in voto castitatis perpetuæ vel ingrediendæ religionis, poterit tecum dispensare confessarius privilegiatus; quia vota dubia non censentur esse reservata Pontifici; quia cum reservatio sit odiosa, restringenda est ad casus certos, non extendenda ad debiles. Ita *Suar. cit. l. 6. c. 26. n. 6.*

VI, Denique scis te emisisse professionem Religionis: dubitas autem, an aliquis metus intercesserit: *presumitur non intercessisse, & valere professionem*: Item scis aliqualem metum intervenisse, dubitas autem an fuerit justè incussus, & an gravis vel levis? iterum *presumendum est pro valore professionis*. Ratio utriusque est: quia cum constet de professione, & excusatio dubia sit, *possessio stat pro professione*. Sed ais certò te scire, quòd ex metu gravi injustè incusso, fictè professus sis: ad hoc R. si ante quinquennium elapsum sic dubites, non tenentur stare professioni; quia ante quinquennium jus non *presumitur ad ratificationem*: ergo nec tu *presumere debes in dubio*; ideoque *in eo dubio possessio stat pro libertate*. Econtrà verò si post elapsum quinquennium primum sic dubites, *tenentur professione*; quia jus, ipsùm que *Conc. Trid. Sess. 25. cap. 19. de Regul.* *presumit professum ratificasse suam professionem*; consequenter & ipse professus dubitans ita *presumere debet*; atque sic *possessio stat pro Religione*.

CONFERENTIA XXXVII.

51. **C**Lericus de sero dubitat, an vesperas cum completorio hodie recitaverit: an aliud votum vel promissionem adimpleverit, &c. An teneatur adimplere?

RESO-

RESOLUTIO: Manet obligatus adhuc implere secundum omnes, nemine contradicente, teste Tanero hic *disp. 2. q. 6. dub. 4. n. 48.* Et ratio est: quia certa est obligatio, & dubia persolutio, quæ, cum sint aliquid facti, in dubio non præsumuntur facta; ideoque possessio & præsumptio stat pro legis obligatione.

Quia autem nulla est regula sine exceptione, & hic excipe, nisi probabilem conjecturam habeas in contrarium; ut si dubitans, an vesperas recitaverit, meminerit se hunc in finem breviarum aperuisse, Dixit Dominus incepisse, præsumere poterit se eas absolvisse. Eodem modo si dubites, an in nocturno vel hora aliqua minori, recitaveris medium Psalmum, dum jam es in tertio Psalmo, facile te resolvere poteris, imò teneris credere te eum recitasse: quomodo enim pervenisti ad tertium, si primum & alterum non recitasti? Ita *Homobonus* apud *Dianam* p. 4. tr. 3. resol. 68.

Idque universaliter verum est, quando cunque ex parte operantis supponitur certa obligatio vel debitum aliquid faciendi, & dubia sit impletio tunc iterum possessio stat ex parte debiti certi, & solutio dubia non præsumitur. E. g. non ita primum contigit, iterumque tam debitorem, quam creditorem, dubitasse de solutione facta: quid igitur? *Re. dat Sanch. de matrim. l. 7. Disp. 37. c. 10. n. 12.* Debitorem teneri ad integram solutionem; eò quod creditor sit in certa possessione sui juris, propter dubiam solutionem privari non potest. E contra debitorem ab omni obligatione liberat *Taner. cit. n. 49.* Quia in tali dubio melior est conditio pos.

fidens: contra utrumque probabilius resolvit
Laym. apud Patrit. hic n. 85. Ad æqualitatem in-
 ter utramque partem servandam; utpote debito-
 rem teneri non ad integram solutionem, sed tan-
 tum ad partem debiti secundum proportionem
 dubii: tu sequere quod placet: sunt enim omnes
 tres sententiæ probabiles.

CONFERENTIA XXXVIII.

52. **A**N eadem sit ratio dubii circa tempus obli-
 gationis inchoandæ, & finiendæ? e. g. an
 in die jejunii vigiliæ, quod finitur hora duodecima
 noctis, dubitans, an sonuerit hora duodecima, pos-
 sit comedere carnes: econtra an feriã tertiã ante
 cineres, quo licet comedere carnes usque ad horam
 duodecimam, post dubitans an sonuerit hora duo-
 decima quã incipit obligatio jejunii, possit per-
 gere in vescendo carnibus? pro utroque sit

RESOLUTIO unica: In dubio circa *tempus*
inchoandæ obligationis, homo manet in possessione
 suæ libertatis. Econtra, in dubio circa tempus
finiendi obligationem, lex manet in possessione
 obligationis. Et regula certa apud Patrit. hic
 n. 86.

Et patet prima pars de tempore inchoandæ obligati-
 onis: Quia certum est legem obligare tota die naturali,
 usque ad horam duodecimam; de qua dubitatur, &
 idè in dubio non presumitur, feriã tertiã ante cineres
 homini licere vesci carnibus usque ad horam duo-
 decimam noctis, postquam incipit obligatio jeju-
 nii: ergo pro toto illo tempore homo habet liber-
 tatem suam vesci carnibus: adeoque dubitans cir-
 ca

ca finem, an sonuerit hora duodecima, non privatur sua, libertate vescendi carnibus; quia certum jus non tollitur per dubium. Econtra patet & altera pars de obligatione circa tempus finiendi obligationem; quia in die jejunii lex habet suam possessionem usque ad horam duodecimam noctis, de qua dubitatur, nec in dubio præsumitur: ergo possessio stat ex parte legis sive jejunii, ideoque non licet inchoare comedere carnes, donec certum sit sonuisse duodecimam.

At quid dicendum de sacerdote crastinâ celebraturo? R. cum distinctione: vel enim sacerdos habuit *dubium antecedens*, an scilicet sonuerit hora duodecima, omninò cessare debet ab ulteriori manducatione & potatione propter Reverentiam tanti sacramenti, ratione cujus tutior pars sequenda est. *Sanch. l. 12. de Matrim. Disp. 41. Laym. & alii.* Vel habuit *dubium consequens*, an scil. hac nocte horam duodecimam excefferit in edendo vel bibendo, probabile rectè censet Laym. n. 36. Sacerdotem posse celebrare. Ratio est: quia lex Ecclesiastica non videtur tam arctè adstringere conscientias in *dubio facti*, quod aliàs non præsumitur.

Cæterum si in loco illo sunt plura horologia, & unum jam sonuit duodecimam, aliud verò non: tunc qui post sonitum primi horologii ante sonitum alterius bibit vel comedit aliquid, potest sequenti die securè celebrare. Ratio est: quia talia diversa horologia habent se ad invicem, sicut duæ opiniones, quarum utramlibet amplecti in praxi: & aliàs secundum jura *in odiosis potest ad ultimum.*

Simile

Simile omninò prioribus dubiis est de juvene & sene in ordine ad jejunium servandum vel non servandum : quod si juvenis verè dubitet, an expleverit annum vigesimum primum, non tenetur jejunare, quia libertas est in possessione. Et contra senex dubitans, an expleverit sexagesimum annum, tenetur ad jejunium; quia in hoc possessionem habet lex certa jejunii : patet ex dictis.

CONFERENTIA XXXIX.

53. **Q**uia iterum aliud est dubium *obligationis contractæ* : ut si quis voveat aliquid, & dubitet, an se obligaverit sub mortali, an verò sub veniali tantum; aliud *dubium solutionis factæ*, ut si quis habeat plura debita, unum onerosum, alterum gratuitum, & facta aliquali solutione dubitat, an solutio illa sit debiti gratuiti vel onerosi; resolvendum hic est pro utroque

RESOLUTIO: In utroque dubio scilicet *obligationis contractæ & solutionis factæ* (consideratis omnibus & nullo obstante) præsumendum est id, quod dubitanti favorabilius, seu minus onerosum est. Ratio est: quia favores sunt ampliandi & odiosa restringenda: & in dubio nemo præsumitur se velle gravare. Atque hinc

I. Quandocunque possessio non stat pro verbis voti, tenetur vovens in dubio ad id, quod minus est. Ita *Sanch. l. 4. moral. c. 6. n. 86.* Quare vovens aliquid, & dubitans, an sub mortali vel veniali tantum se voluerit obligare, (si neque ex vi verborum, neque ex quantitate materiæ dijudicari certò possit) censendus est se obligasse tantum sub veniali.

II. Item

II. Item qui vovit Rosarium, dubius, an integrum 15. decadum, tenetur solum ad minus 5. vel 6. decadum; quia hæc etiam vocantur communiter Rosaria B. Virginis. Ita *Suar. tom. 2. l. 4. c. 8. n. 5. Laym. Dian. & alii apud ipsos.* III. Item, ait Sanch. si quis vovit orationem vel eleemosynam simpliciter, satisfacere, si oret unum *Pater & Ave:* aut det unum obulum: excipit tamen noster *Patrit. hic n. 89.* Nisi tam modicum dare dedeceret personam dantis. IV. Qui certus est se vovisse Religionem, dubitat autem, an Religionem in communi, an verò certam in particulari, potest ingredi quamlibet; quia possessio stat pro libertate quoad electionem. V. Item si dubitet, an promiserit solum ingredi, an etiam profiteri, satisfacit ingrediendo; quia votum in dubio obligat ad id, quod minus est, *Suar. cit. c. 8. n. 7.*

VI. Scis te vovisse castitatem, sed immemor verborum suorum dubitat, an promiserit castitatem perpetuam, an verò temporalem tantum usque ad tempus opportunum conjugii, potes eligere quod minus est, & tempore opportuno contrahere matrimonium. *Sanch. l. 4. c. 16. à n. 16.*

VII. Vovisti te non amplius tacturum mulierem, dubitas autem an id intellexeris de tactu fornicario tantum, an verò etiam de conjugali, non teneris abstinere à nuptiis; quia rursus possessio stat libertate. *Sanchez. l. 2. de Matrim. Disp. 41. n. 33.*

De Dubio Solutionis factæ.

VIII. Illud dubium prius extinguitur, quod magis gravat debitorem, utpotè onerosum præ gratuito;

uito: nomine proprio contractum præ alieno nomine contracto: id, pro quo currit interesse præ mero mutuo. IX. Canonicus toto anno Officium canonicum recitare neglexit, & ideo ad pias causas trecentos aureos restituere jubetur Confessario: respondet se, quamvis hujus obligationis immemorem ante paucos dies Ecclesiam dominasse statuam argenteam, quæ trecentis & amplius æstimetur aureis; non desunt DD. qui eum satisfecisse sentiunt; tum quia videtur esse virtualis intentio omnium dantium eleemosynam satisfaciendi per eam suis obligationibus, quas suis negligentis contraxerunt; tum etiam quia leges Ecclesiasticæ benignè interpretari debent. Ita Laym. cum Diana & aliis. Porro intelligenda est hæc doctrina de obligatione restituendi pro horis omnibus contracta ante talem indifferentem solutionem, non verò postea contrahenda: est enim hæc expressa inter damnatas ab Alexandro VII. propositio: *Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.*

CONFERENTIA XL.

§4. Superior dubitat, an causa dispensandi sit iusta, & sufficiens, an possit nihilominus dispensare? R. affirmative: Ratio est; quia declinandum est ad clementiorem partem: idque exigat bonum & suave regimen Ecclesie: vix enim unquam Superior vel Confessarius privilegiatus auderet dispensare, si potestas dispensandi ad certos tantum casus extenderetur. Similiter quando dubita-

dubitatur, an dispensatio facta à Papa sit valida: vel an causa in dispensatione expressa sit *finalis*, ita ut sine illa non concederetur dispensatio; an verò sit tantum causa *impulsiva*; præsumendum est dispensationem esse *validam*; & causam illam fuisse *impulsivam*; Ita probabilissimè docent *Sanch. l. 8. Matrim. Disp. 21. n. 20. Sanctorel. Castrop. & alii.* Ratio autem est: Quia in re dubia judicandum est in favorem valoris actus, ut potius valeat, quàm pereat; siquidem præsumptio prævalet in eò dubio possessioni legis contrariæ. Item in dubio, an peccatum, aut casus aliquis sit reservatus, præsumitur non reservatus: adeoque potest absolvi à confessario approbato quocunque; quia reservatio est odiosa & strictè interpretanda in favorem Pœnitentis & confessarii. Ita *Suar. de Relig. tom. 2. lib. 4. c. 5. n. 15. Sanch. Filliuc. & alii apud Patrit. n. 91.* Item in dubio, an excommunicatio vel censura aliqua, privatio vel inhabilitas sit latæ sententiæ ipso facto incurrenda, an verò sententiæ ferendæ, præsumendum est esse tantum sententiæ ferendæ: quia iterum odia sunt restringenda. Ita ex communior. *Avila. Koninck. Dian.* Denique in dubio, an sis legitimè natus, nisi evidentè demonstretur, non teneris sequi sententiam tutiorem, sed potes sequi mitiorem præsumendo te legitimè natum, saltem in materia justitiæ in adeunda hæreditate. *Ex l. filii ff. de his, qui sui vel alieni juris sunt.* Docet communis. *Ex Patrit. cit.*

CONFERENTIA XLI.

55. **D**ubitas, an heri vespas omiseris: an cogitationi veneræ consenseris, &c. An teneris

nearis

nearis id hodie ante missam confiteri? *Re affirmative cum pluribus contra multos. Probatur autem valide. I. Ex universali omnium fidelium consensu, & praxi in lege nova, cujus initium ignoratur. II. Ex Conc. Trid. ab Adversariis allegato, quod potius nostræ quàm ipsorum sententia expressè favet, ait enim: oportet à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quam post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint. Et subdit. Nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, quamvis occultiter in confessione dicantur, taceri tamen circa culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Ecce Concilium à necessario confitendis solum excludit peccata venialia, & ea mortalia, quæ post diligentem excussionem non occurrunt; ergo peccata mortalia dubia, quæ post diligentem sui excussionem memoriæ occurrunt, non excludit; consequenter vult necessariò confitenda. Deinde concilium à necessariò confitendis excludit venialia; ob hanc rationem, quia per ea non excludimur à gratia Dei: sed per peccata mortalia dubia (supposito quod revera commissa essent) reverti excluderemur à gratia Dei: ergò hæc non excludit à necessaria confessione.*

CONFERENTIA XLII.

56. **U**T etiam de *Maleficio dubio* aliquam mentionem faciamus, quæstio est non rara, an liceat adhibere medium aliquod, ad causandum aliquem effectum, v. g. febrim vel alium morbum curandum, quando dubitatur, an medium illud

lud sit naturale vel superstitiosum: seu an effectus talis fiat à causa naturali, vel à Dæmone?

RESOLUTIO: Quando media illa adhibita sunt *res naturales*; utpotè herbæ, radices, lapides, &c. In dubio præsumi potest causare effectum naturaliter, & sic licitè adhiberi, saltem cum protestatione contraria nolendi effectum illum, si à dæmone causandus sit: quando autem media illa sunt *res artificiales*, v. g. signa, preces certæ, characteres, funis, è quo fur suspensus fuit, &c. regulariter præsumendum est, esse superstitiosa; & non nisi dæmonis operatione, ex pacto saltem implicito, efficacia; ideoque illis uti illicitum simpliciter est. Prout etiam illicitum semper est, petere à mago vel saga solutionem maleficii, quando dubitatur, an possit solvere sine novo maleficio. Ita Com. DD. in hac materia.

At quid de nostris (ut vocamus) flagellis dæmonum, Brevibus, &c. Nam & hæc, (refert *Patrit. noster n. 93.*) à juniore quodam scriptore annumerari superstitiosis. Resp. Brevia, sicut & alias res ab Ecclesia benedictas, licitè adhiberi contra infestationes dæmonum, & maleficia avertenda vel impedienda: quod si verò adhibeantur ad curandos morbos hominum vel animalium per modum causæ operantis cum certa spe effectus, certum est esse superstitiosum. Unde enim illa virtus vel effectus? non à materia, ut clarum est: non ab ipso Deo vel ejus Angelo; quia nulla constat promissio, Bulla, vel diploma. Igitur dicendum, & saltem tolerandum, si adhibeantur contra morbos solum per modum causæ imprecatoriae,

torix, ut ab iplo Deo effectus fiat intuitu sacrarum reliquiarum, & rerum aliarum ab Ecclesia benedictarum, ibi commixtarum, cum sola pia spe & fiducia in Deo ac sanctorum & Ecclesix meritis. Pro commendatione dictæ materiæ refero, quod mihi contigit in Alfata: dum enim me conveniret puella rustica tota misera & morti proxima, mihi que narraret quomodo in nuptiis propinquo sibi ab adversario suo vitro vini, ejusque modica tantum parte gustato, cæperit male valere, & semper deterius, obtuli illi de dicta materia Brevium seu massa flagelli diaboli sumenda, quam sumpta statim evomuit vitra, officula, aliaque complura; quibus ejectis feliciter convaluit.

De Conscientia Scrupulosa.

57. **Q**uid propriè sit Conscientia scrupulosa, advertit Greg. de Valentia l. 2. hic q. 14. punct. 4. dicens: Etsi Scrupulus nonnunquam accipitur tam pro dubitatione malitiæ quàm pro opinione, quòd aliquid sit malum: tamen propriè conscientiam scrupulosam, nihil aliud esse, quàm anxiam quandam formidinem, ne fortè id ipsum sit malum, quod tamen licitum existimatur. Ratio sumenda est ex communi hominum æstimatione, scrupulum propriè ita intelligentium. Unde rectè notat Laym, hic t. 6. n. 1. Judicium, hominis verè scrupulosi, esse, si contra sapientium, imò & proprium judicium tale quidpiam agere peccatum non esse nihilominus inquietus sit. Sola scil. apprehensione, malitimens, & formidans, ne forte peccet, aut peccaverit, idque ex apprehensa solùm & apparente

ratione i
hic disp
scrupulo
cavendis
me dixi
quidam e
catis pr
(& iste
scrupulos
futuris me
damnatio
quis po
scrupulo

An l

58. **R**el
celeratur
potest si
instituer
mentem
crucis r
quasi id
non sine
tur leth
re, qui
hibitus
lis, sine
pedibus
sus uti
Cum h

ratio

ratione inani, levi & futili: ut advertit Vasquez hic disp. 67. c. c. n. 8. quod sint aliqui nimirum scrupulosi circa præterita peccata, de futuris autem cavendis parùm solliciti. In quem sensum verissimè dixit Silvester V. *Scrupulosus est duplex: quidam enim est scrupulosus in recognoscendis peccatis præteritis, & timoratus in vitandis futuris (& iste communiter bene finit) quidam verò est scrupulosus in recognoscendis præteritis, & in cavendis futuris negligens & efferatus; & iste videtur aternæ damnationi propinquus.* Jam ergò quæritur, an quis possit licite operari contra Conscientiam scrupulosam? pro quo sit

CONFIDENTIA XLIII.

An licitum sit contra Scrupulos agere?

RESOLUTIO I. Is, qui Scrupulorum stimulis agitur, nefas esse suspicatur, aut putat sceleratum esse id, quod ad agendum proponitur, potest sine ullo crimine actionem sic propositam instituere, & profèqui inchoatam. Sic cui in mentem venit, mortale crimen esse stramina in cruce modum decussata pedibus conculcare, quasi id reverentiæ cruci debitæ officeret; aut cui non sine mentis agitatione aut conflictu, videretur lethale esse, die veneris panem cultro scindere, qui paulò ante carnibus dissecandis fuisset adhibitus; is sanè ne quidquam urgentibus scrupulis, sine ulla prorsus culpa, potest & stramen pedibus conculcare, & cultro in promiscuos usus uti impune. Ita *Salosa hic. tr. 8. §. 2. n. 7.* Cum hijs verbis; atque hæc est tam pervulgata

Theologorum omnium, & quod rarissimum est, nemine repugnante tam constans sententia, ut supervacaneum omninò sit singulorum nomina depromere. Et verò

Ratio est manifesta: Medios enim inter angustias, quibus phantasia agitatur, & prima mentis apprehensio percellitur, istud sibi iudicium formare mens potest, nugae esse & deliria, quae obvolvuntur animo; ac proinde verè illicitum non esse, quod vana specie videtur illicitum: hoc autem iudicium quisquis sequitur, conscientiae verè dictamen sequitur. Neque verò quidquam refert, ingentes nihilominus animi remorsus quod persentiscat, nam scrupulorum hi morsus sunt, non Conscientiae: scrupuli autem Conscientiae tribunal non ascendunt, cuius solius est dijudicare rem, non verò leviter & de nihilo suspicari. Hinc qui sic agit, scrupulis repugnat, non conscientiae: istud autem semper est licitum: igitur, &c. At inquit, nequidquam angerer circumstrepentibus undique licet Scrupulis, istud si mihi praestituere possem iudicium, licitum esse, quod praemanibus habeo: verum ex adverso ita exagitor, ut de actionis mercedem & innocentia nihil quidquam pro certo queam dijudicare & statuere. R. Ita quidem tu. Verum nonne haec ipsa dijudicandi impotentia, signum est evidentissimum scrupulis agitari, eorumque importunis clamoribus totum tibi offuscatum esse cerebrum, mentisque tribunal conturbatum? consequenter sic Scrupulis impeditus potes eos habere despectui, iisque directe opponere atque agere ea omnia, quae à Scrupulis non exiguntur.

Cred
pulis se
istud et
quibus
scrupul
de morb
festum:
pulis ad
moral. c.
tra scrup
tione co
mulacra
58.
citum ta
pulorum
oppono
Sarafa
Ratic
Etenim
mata,
mum or
dulges,
tasmata
intrepic
mori in
qua sua
moda,
dam scr
similes
portun
panem
hic tu
Credo

Credo inquis, hæc ita esse, licitumque esse Scrupulis sese opponere, dum veri sunt Scrupuli: at istud est mihi ambiguum, an verè Scrupuli sint, quibus exagitor. & Hoc ipsum purum putum scrupulosæ mentis esse genium: quo magis enim de morbo tuo ambigis, magis eum facis esse manifestum: ut tamen etiam hac ex parte omne Scrupulis adimam effugium, istud tibi cum Sanchez *l. 1. moral. c. 10. n. 80.* assero; sufficere, ut tutò contra scrupulos possis agere, si tantum probabili ratione constet, scrupulos esse vana peccatorum simulacra, quibus impeteris.

58. RESOLUTIO II. Scrupulosi non licitum tantum est, sed etiam longè consultius, scrupulorum repræsentationibus refragari, iisque sese opponere. Est iterum com. TT. sententia ex *Sarasa cit. n. 11.*

Ratio ex ipsa scrupulorum origine desumitur. Etenim cum Scrupuli non nisi vana sint phantasmata, quæ ex timida corporis temperie ut plurimum ortum suum habeant, quò magis timori indulges, eò magis exacuitur: fugantur autem phantasmata & timoris terri culamenta, quando ipsis intrepida objicitur impressio: quid est autem timori indulgere & cedere, quàm ea tandem agere, quæ suadet timor? ut ergo hæc evadantur incommoda, nihil est consultius, quàm frontem impavidam scrupulis obtendere: & re ipsa ostendere, te similes aculeos flocci facere: & cum tibi sese importunè ingerit cogitatio, peccatum esse tali cultro panem scindere, quo hesternæ tactæ sunt carnes, hinc tu ne immorare, sed fortior insurge, illudque

E 3

secum

tecum sic statue; ob hanc ipsam causam, quod mortale scelus mihi visum est id, quod aggredior non alio utar cultro, quàm hoc, de quo controversatur; neque id confitere, quantumcunque scrupuli obganniant, tutusque ad sacram communionem accede; atque sic evades victor tui. Et hæc est securissima Scrupulis curandis medicina fœdè unica.

§9. RESOLUTIO III. Sæpe etiam tenetur scrupulosus agere contra scrupulos. Ita Thom. Sanchez l. 1. in præcept. c. 20. n. 83. Valent. Sayr, apud Salsafacit. n. 14.

Ratio est: Quia scrupuli mentem sæpe vehementer perturbant, plurimas actiones bonas, præcepto divino aut Ecclesiastico imperatas, præpediunt, animos ad præclara assurgentes succidunt, ad desperationem incautum paulatim deducunt, ineptumque reddunt, ut munere suo institutaque vivendi ratione benè alacriterque defungatur, cerebri vires defatigant, ac denique insanix incurrendæ periculum inducunt præsentissimum: ergo certissimum est, quod quisquis hoc morbo laborat, jure naturæ charitatisque propriæ, de remedio illi conquirendo, sibi que prospicere teneatur: cum ergo aliud nullum supersit, hujusmodi scrupulis superandis, quàm iis minimè indulgere, fortiterque obistere, sanè ad hoc remedium necessariò recurrendum est; & contraria suis scrupulis agere quantum poterit scrupulosus sed & debet.

An, 8

60. R

nis, bu
scrupu

ca ad p

Rati

ciores

cerebru

cunt se

mentur

tur, sub

R. I

familia

Contag

inveni

cet. I

quanto

conetu

veam c

tuos m

timeri

suspica

61.

scrupu

eaim a

homi

nititur

sancti

CON

CONFERENCE XLIV.

An, & quænam sint alia remedia ad arcendos sanandosque scrupulos?

60. **R**ESOLUTIO I. Cum liquidò constet, frequentius scrupulos ex naturali sanguinis, humorumque mala temperie, ortum ducere, scrupulosis sæpe adhibendæ sunt medicinæ physicæ ad purgandum sanguinem melancholicum.

Ratio est evidens; quia medicinæ physicæ tenaciores humores dissolvunt, sanguinem reficiunt, cerebrum purgant; adeoque maximum conducunt scrupulis remedium; utpote quibus fundamentum ipsum, cui inferuntur, & esca quâ nutriuntur, subducenda sunt quantocyùs.

R. II. Scrupulosus cum scrupuloso non agat familiariter, quantumcunque modestus sit & pius. Contagiosus enim hic morbus est, & ubi materiam invenit impressionis capacem, etiam contactu nocet. Neque enim quemque latet, scabiosam ovem quantocyùs ovi sibi simili scabiem affricare; & si conetur cæcus cæcum ducere, ambo facile in foveam cadent: & denique scrupulosi augent mutuos metus mutuis colloquiis, cum timeat ea, quæ timeri videt, & quæ antea timenda esse minimè suspicabatur.

61. R. III. Scrupulosus ne quidem secum de scrupulis multum agat, disputet aut deliberet. Hæc enim altera est dæmonis techna, ut scrupulosum hominem dementet faciliùs, ei solitudinem suadere nititur, & persuadere tandem, ut rebus omnibus, functionibus procul amandatis, multum secum

E ♣

agat,

agat, cogitet, & expendat; tum verò velut agmine facto undique irruunt rationes falsæ, peccatorum adumbratæ species, vani metus; totamque & phantasiam, & animam simul infestant crudelissimè: itaque scrupulosis otium solitudinè devotanda est studiosissimè, ne mens dum nihil agitur agatur in transversum, atque agatur pessimè. Dices actiones præteritas dum examino, discutere penes me non possum, an blasphemis cogitationibus, aut impuris suggestionibus consenserim, an non consenserim? R. Quod si ex scrupulorum tibi sit materia, & in qua solita pateris animi tormenta, minime tibi illis examinandis esse inhærendum; sed quoties non ita certus es de malitia actionis peractæ, ut juramento affirmare audeas, te peccatum sponte tua & plena libertate commisisse, istud debes statuere, nullam actionis tuæ malitiam voluisse, ac proinde non peccasse. Aut proinde quid Blos. de Consc. n. 20. §. 4. dicat. *Cum scrupulosi non tantum rationem, sed & umbram peccati ita horreant, ut ejus tantum metu vexentur; non est credibile, eos rem expressè ut malam aggressos fuisse, vel aggressuros, quamdiu scrupulosi sunt. Non enim simulant tantus peccati horror, ac ab eo voluntatis aversio, & libera ejusdem, licet expressè præcogniti, volitio.*

R. IV. Efficacissimum contra scrupulos remedium docent communiter DD. esse, ut scrupulosus judicio ac consilio docti & experti confessari omninò se subiciat & acquiescat, ejusque moniti se conformet. Ratio est: quia quilibet in propria casu solet esse cæcus: ergo persuadeat sibi scrupulosus, quòd unusquisque consilio confessari

ri sui tutò ac quiescere possit; nec debeat alios & alios consulere, ne animum affuescat ad anxietates inutiles diutiùs fovendas, sed juxta consilium Sapient, I. *sentiatur de Domino in bonitate*; qui non est tam rigidus & durus, ut bonæ voluntatis hominibus peccata adscribat, & pœnas decernat, nisi certò se reos sciant. Dices fortè, te multò magis præ confessario tuo sapere, probiusque callere ea, quæ conscientia spectant jura.

Sed contrà est; nam licet fortasse speculativè sis sapientior, magisque peritus Theoriæ, practicè tamen, scrupulosus cum sis, longè illo es inferior. Etenim ut clarè loquar; ob cerebri intemperiem, angorem animi, metusque superfluos & medicinam morbo ex arte possis attemperare, & suo tempore bona ratione applicare. Cede igitur quantumcunque sapias, & tunc verè sapias.

Verùm ut remedium hoc, quod tanti momenti est, scrupulosi morbo suo rectè applicent, paucula quædam sunt observanda: ac primò quidem definitionem rei agenda aut omittenda à confessario scrupulosus petat simpliciter; rationes verò cur hoc aut istud statuat, minimè exposcat. Eas enim si requirat, manifestum est non tam viri prudentis judicio, quàm rationibus velle adhærere. Hoc autem non est alieno duci judicio, sed suo; quod tamen scrupuloso minimè expedit. *Secundò* scrupulum confessarius dum dissolvit, & tibi quid faciendum sit dum explicuit, cave, ne libros aut alium confessarium consulas. Nam ut disertè *Navarr. Laym. Lugo & alii Theologi*, non alia ratione tam facile innodantur scrupulorum animi, quàm

si plures adeant, quorum placita expiscantur. *Ter-
tium*, ne scrupulosus cum confessario multum agat
de scrupulis: neque confessarius veteres scrupulos
tangat; sed adhortetur illum, ut scrupulos discat
superare v. g. tali cultro & non alio scindendum
panem, &c. Confessionem veterem peccatorum
non esse repetendam. *Ita Sarasa hic à n. 36.*

CONFERENTIA XLV.

Quomodo agere debeat Confessarius cum
iis, qui in oratione perpetuis anguntur
scrupulis.

61. **R**esp. Severè illis probibeat, ne quidquam
repetant, sive bene sive male recitasse sibi vi-
deantur. 2. Revocet illis in memoriam, quòd est
communior & verior sit sententia Theologorum
etiam internam attentionem requirentium, proba-
bilis tamen etiam, quamque tutò secundum *Le-
mannum & Lessium* sequi possit, sit sententia *Navarri
& aliorum*, nullam attentionem internam requiren-
tium, sed externam tantum, quæ omnem actionem
impossibilem cum attentione interna excludat,
licet animo voluntariè quis distrahatur: quanto
minus ergo involuntariæ distractiones (quales
plerumque ejusmodi scrupulosi patiuntur) ob-
stant obligationi ad recitandas horas canonicas
adimplendæ? 3. Suadeat, ut, si fieri possit, cum
socio eas recitent: sic enim partim exemplo, par-
tim pudore retrahentur à repetitione verborum
semel prolatorum. 4. Ostendat illis, quàm pa-
rum finem per scrupulos suos intentum obtinent
hujusmodi repetitione: quid enim aliud querunt,
nisi

nisi ut debitam Deo reverentiam exhibeant, sicque magis eidem placeant; atqui per crebras adeo repetitiones contrarium potius effici, vel ipsum rationis lumen dicat. Quis enim inter homines oratorem de laudibus Regis aut Principis in ejus præsentia dicturum, si eadem semper verba repeteret, non offensam potius Regis aut Principis, quam gratiam promeriturum credat? & potestne quispiam sibi promittere, se in repetitione non æque, vel magis distractiones passurum; itaque scrupulosus sincero animo ad Deum per orationem confugiat, ejusque contra dæmonis versutias & insultus, auxilium imploret: præsentissima hæc est medicina. Qua ipsa arte ad superandam importunissimi hostis vafritiem usus est David. *Contristatus sum, inquit, in exercitatione mea, & conturbatus sum à voce inimici. Quid deinde? ecce elongavi fugiens & mansi in solitudine* (precibus nim: intentus & Deo) ut quid? *Expectabam eum, qui salvum me fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate.*

CONFERENCE XLVI.

Quid sit Stimulus Conscientiæ?

62. **Q**uid propriè stimulus Conscientiæ sit, à nemine hæctenus (quantum scio) claritè aut elegantius descriptus est, quàm à P. Antonio de Sarasa; cujus proinde verbis rem totam, ut ajunt, ab ovo incipiamus, atque ordine quo geruntur intuitus omnia, singula prosequamur.

RESOLUTIO: Quam primùm peccandi sese offert opportunitas, illicò suboriri tibi senties metum quemdam animi, quo evidenter judicas, tibi quo-

que ipsi dicis, *res hac aut actio, quam aggredieris, est plane illicita*; atque hoc iudicium est ipsissima Conscientia seu dictamen superioris rationis, cui actionem faciendam voluntas debet necessario attemperare. Quomodo ergo fit (inquies) quod voluntas sapientissime duci suo, rationique recte non obediat, & in contraria feratur? R. Interea dum in superiori parte animae pronuntiatur haec sententia, *illicitam nempe rem esse, quae est pra manibus*; in inferiori parte animae; in qua corporeae affectiones dominantur, per mali naturae ardentis praesentiam, accenduntur igniculi quidam (passiones voco) ex quibus fumi & fuligines evaporant, qui cerebrum inficiunt, totamque caeca caligine mentem involvunt. E. g. Impudicitiae aut iniustitiae committendae sese offert occasio: *illicitum id esse, in suo tribunali pronuntiat conscientia*; Atque hoc decretum in superiori parte animae affigitur, ac voluntati, seu appetitui rationali intimatur, laterim affectionibus suis excitata inferior portio animae (appetitus naturalis) forum, id est mentem occupat, & insanis omnia complet clamoribus; veluti dum pra senatus foribus plebeculae insanientis gliscit seditio. Hinc cogitationes haec aut similes subeunt animum: etsi res a conscientia iudicetur illicita & impudica, naturae tamen & corpori gratam esse, & huic aliquid esse concedendum: item rem esse utilem, & magni lucri occasionem nunc adesse praclarissimam, quam, cum elapsa est, non facile erit revocare: adolescentiam id requirere, saltem semel committendum crimen; quibus rationibus & mens percellitur, & ratio

offusca-

offuscatur, appetitus instigatur, & caro accenditur. Atque ita in hoc seditioso affectionum conflictu, defendentibus se invicem cogitationibus, accusantibus & excusantibus, præpeditur mens & quasi tenebris obvolvitur, adeò ut superius Conscientiæ decretum, voluntati quasi præ foribus affixum, legere aut mens non possit, aut etiam nolit: & sic tandem contra Conscientiæ præscriptum, seditioni passionum succumbit, & in earum concedit partem malorum, in quæ se conjicit admodum secunda; quia naturæ exardescens fulgine excæcata, præceps fertur misera, & nescit quò sciet autem malo suo, scelus dum expleverit; & mox cum nebula transierit, apparitoris instar aderit Conscientia, in jus te illicò citatura. Istud enim ei à supremo omnium Domino demandatum est officii, ut statim, nullà interposità morà, peccantem occupet. Atque hic incipit *stimulus conscientiæ*, sive peccati memoria, id est, sceleris Conscientia: ejusdem nuda confessio: decreti à conscientia lati (*hæc actio est illicita*) memoria: exprobratio conscientiæ, quòd contra dictamen suum pertinaciter egeris: neque ullus datur tergiversandi locus, aut negandi evasio; quia tam recens est sceleris commissi memoria, imò ipsa præsentia: improperat inconstantiam: exprobrat impudiciam: arguit contemptum Dei, legisque ab eo lata tam facilem transgressionem: irritatam offensi Dei Majestatem ob abjectissimam carnis petulantiam, quæ ne in hominum oculos sine summo pudore & infamia veniat (ob sordidissimas, & quæ illicò perituræ erant voluptates, fædo

con-

commerico venditas esse cœlestes æternasque delicias : scorti familiaritatem infamem divinæ amicitiae esse præpositam : conculcatum sanguinem Christi morientis (pretium animæ) turpia momentanea libidine divenditæ, &c.

Hæc itaque sunt, quæ Titulo præsentis Confessionis, *quid sit stimulus conscientiae*, clarè & abundanter satisfaciunt, tormenta & aculei, quos sceleribus vindicandis, tortoris instar admovet conscientia ; in quibus tolerandis tota consistit peccantis animæ carnificina.

63. Petes : Undè proveniat, quod aliqui peccatores perversè viventes læti tamen sint & hilares, nec ullos sibi à conscientia stimulos admoveri persentiscant ? R. Tales non admorderi scelerum conscientia, quia jam fortè derelicti sunt à Deo & ideò nec conscientia vicarias Dei partes agit, ubi medicinam omnem subtraxit pertinaciâ nimia defessum Numen. Unde apud Jeremiam c. 51. Deus ipse : *Curavimus*, inquit, *Babylonem*, & non est curata: derelinquamus eam quoniam pervenit usque ad caelos iudicium ejus (neque à subalterno iudice quidquam in terra movetur) *quia elevatum est usque ad nubes iudicium.*

Hæc audis peccator, & non expavescis ? eone causam tuam vis protrahi, unde nulla dabitur appellatio ? interim ne tibi de conscientiae silentio plausum des ; quia horrendum verè est silentium, & omni clamore terribilius. Neque verò quæ tacet modò, tacebit semper. Age nunc pro libidine & lubentia; vitæ commodis utere & abutere : os obstrue arguenti te conscientiae. Verùm cum

ad

ad vitæ scelerumque metam perveneris, silentium solvet ista, & tum demùm sensum animi aperiet in luctus tuos. Tunc enim patrocinantem Dei manum frustra exposces, & præ timore undique diffuses, aculeisque undequaque sese ingerentibus, dolori tuo nequaquam implorabis medicinam.

Itaque si (quòd propitius avertat Deus) ita fors aut imbecillitas, aut etiam perversitas tua tulerit, quisquis es mortalis, ut mortiferi te facinoris reum sagax conscientia invenerit, aut in ipso scelere deprehenderit, & si tam infeliciter deprehenso manus injiciat, indignitatẽque facti cœperit exprobrare, contemptamque sese criminetur, contemptam insuper Numinis Majestatem, contemptum denique omne jus & fas: hæc inquam, & similia si menti occurrant, nullã tamen diffidentia consequendæ gratiæ intermixta, quin potius magna eam obtinendi cum fiducia, certò tecum statue, conscientia tibi faventis has voces esse, quæ instar Pædagogi non ideò castigantis te, sed potius corripientis, & ad meliora revocantis, si non dulces, amicos tamen sibilos explodit. Eos proinde, si sapis, illicò sequere, ut tecum tibi benè sit, necque aliã insistas viã: cum irato & offenso Deo pacem fac, ut tandem aliquando depositã pervicaciã, pacem obtineas & lætam & constantem, tibi que benè sit à te ipso, à tua, inquam, conscientia, quæ dum in via es, partes agit vicarias Dei: conscientiam itaque observa, & servabit te conscientia.

O. A. M. D. G.

TITU.

TITULUS II.

De actibus humanis.

Actus humanus, actio seu operatio humana latissime sumitur pro omni actione, quæ fit ab homine, sive propria ea sit homini, sive communis cum brutis; ut comedere, bibere, ambulare, &c. Magis propriè actus humanus dicitur omnis actio, quæ fit à solo homine; ut loqui, ridere, intelligere, velle, &c. Qui tamen melius vocantur *actus hominis*. Denique propriè actus humanus est, qui fit ab homine ut homo est, seu modò homini propriò, nimirum ex prævia deliberatione & libera electione: & ideò definitur, *actus humanus est actus creature rationalis, cum ratione liber*. Dicitur **1.** actus creature rationalis: quia convenit etiam Angelo. **2.** Cum ratione, id est, prævia cognitione & deliberatione intellectus secundum regulas rectæ rationis. **3.** Liber, qui scilicet positus omnibus ad agendum requisitis possit libere fieri, vel non fieri.

Suppono itaque dari in homine liberum arbitrium; definitur à S. Augustino l. 2. de peccatorum meritis. *Est facultas innata anime rationali, quâ homo potest eligere unum præ alio, vel unum idemque acceptare, vel non acceptare.* Ita enim explicatur à Script. Num. 30. *In arbitrio viri erit, ut faciat, sive non faciat.* Deut 30. *Testes hodie in vobis cælum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem: benedictionem & maledictionem.* Elige

ergo vitam, ut & tu vivas, & diligas Dominum Deum tuum. Josue 24. Optio vobis datur eligite vobis, quod placet. & in nova lege. Luc, 9. Si quis vult venire post me, &c. 1. Cor. 7. Quod vult, faciat, non peccat: nam qui statuit in corde suo firmus: habens necessitatem, potestatem autem habens voluntatis sua, &c. Quæ omnia non tantum probant dari liberum arbitrium, sed insuper illud consistere in libertate agendi vel non agendi, vel etiam contrarium agendi.

Jam ergo libertas illa, quæ habitis requisitis ad agendum, potest agere & non agere, vocatur *libertas exercitii, & Contractionis*; quia est indifferentia ad duo contradictoria, scilicet *agere, non agere, velle, non velle*. Alia autem indifferentia ad actus contrarios, quæ voluntas habitis omnibus ad agendum requisitis, potest sic agere, vel oppositum agere, seu hunc, vel alium contrarium actum exercere circa idem objectum, dicitur *libertas contrarietatis & specificationis*, quia est ad actus specie diversos, & positivè contrarios; ut *velle, nolle; amare, odisse; consentire, dissentire, &c.* His prænotatis sit

CONFERENTIA XLVII.

Qualis cognitio requiritur ad actum humanum?

65. **R**ESOLUTIO; ad actum humanum moraliter bonum vel malum requiritur advertentia ad ipsum actum 2. cognitio omnium ad eum, qua talis est, concurrentium. 3. aliqua deliberatio (formalis vel virtualis) & 4. saltem ut

Pars II.

F

bonus

bonus esse possit, iudicium practicum de honestate actus. Certa apud omnes.

Probatur prima pars: *requiritur advertentia ad ipsum actum.* Nam actus humanus debet esse in pleno dominio & potestate operantis, ut nimirum eum elicere vel non elicere, continuare vel abrumperere possit: hoc autem fieri nequit, nisi advertat ad ipsum actum: igitur, &c. Et hinc primæ intellectus cogitationes, & motus primò primi, qui ex sola apprehensione objecti absque ulla sui advertentia in voluntate vel appetitu sensitivo exurgunt, ut iræ, delectationes, &c. non possunt esse actus humani, nec liberi, nec boni nec mali moraliter; consequenter ad hoc requiritur advertentia ad ipsum actum, ut nimirum quis sciat vel advertat se talem actum, bonum vel malum, elicere vel habere.

Probatur II. pars: *requiritur cognitio omnium ad eum actum, quæ talis est, concurrentium;* utpote objecti & circumstantiarum: quia actus humanus debet voluntariè tendere in objectum, ideoque objectum debet esse volitum, & consequenter præcognitum ut tale, scilicet ut affectum his circumstantiis, in quantum ad actum humanum, bonum vel malum, concurrat; alioquin quacunque ratione aliquid ad actum concurrens non est cognitum, etiam non est volitum, eadem ratione actus non erit voluntarius, nec consequenter humanus, bonus vel malus. E. g. *Brutus occidit Patrem gladio.* Ad hoc ergo, ut actus ille parricidii sit humanus & voluntarius, debet in primis cognitum esse objectum, ut nimirum sciverit esse hominem,

minem, quem percutit, & non putatam feram :
deinde debet cognita fuisse *Circumstantia illa, quid-*
nimirum hominem illum esse Patrem suum : ho-
minem illum esse Patrem suum : denique debet
esse cognitum instrumentum, scilicet *se gladio per-*
cutere, & non putato baculo; alioquin in primo
occisio erit, non homicidium : in secundo homici-
dium quidem, *non parricidium* : in tertio denique
percutio tantum, & *non occisio erit voluntaria &*
actus humanus.

Probatur tertia pars : *requiritur aliqua delibera-*
tio : quia actus humanus debet tendere in objec-
tum, ut practice cognitum secundum suam bo-
nitatem vel malitiam (nihil enim volitum, nisi
præcognitum) atqui non potest practice cognos-
ci, ut operabile secundum bonitatem vel malitiam
absque aliqua deliberatione ; cum nullum objec-
tum particulare homini in hac vita proponatur &
apparet ita omni ex parte bonum, adeoque hic &
nunc necessario prosequendum, quin simul appa-
reat admixta aliqua ratio mali, & econtrà. v. g.
Intellectus in objectis virtutum proponit quidem
rationem boni honesti, propter quam appetenda
sint ; simul tamen mox reperit rationem aliquam
mali, utpotè molestiæ, difficultatis, contrarietatis
ad appetitum, &c. propter quam fugienda vi-
deantur. Similiter in objectis vitiorum, propo-
nit rationem mali inhonesti, seu turpitudinem &
reatum, propter quam rationem fugienda sint :
at occurrit simul aliqua ratio boni convenientis,
utilis vel delectabilis, &c. & propterea amplex-
tenda videantur : quare tunc humanæ rationis offi-
cium

cium est, conferre utrinque rationes convenientiæ & disconvenientiæ, & sic *deliberare*, quid cui in operatione præferendum sit: & sic ergò ad actum humanum, ut voluntarius fiat bene vel male, requiritur *deliberatio aliqua formalis vel virtualis*. Et hinc

Probatur IV. pars: *saltem ut bonus esse possit actus humanus, requiritur iudicium practicum de honestate actus*: quo nimirum intellectus post deliberationem in utramque partem practice concludat: hic & nunc hoc esse bonum ac licitum, hoc verò malum ac illicitum. e. g. *Est consulatio practica: an occasio furti 1000. florenorum mihi oblata sit hic & nunc amplectenda ob rationes utilitatis, an verò repudianda ob rationes disconvenientiæ & malitiæ propositas; atque hoc est dubium practicum* subsumit synderesis, *omne malum est fugiendum; atque exindè ratio practice concludit, hoc factum omittendum esse ut simpliciter malum; quæ proindè conclusio seu dictamen practicum est, ipsa recitata conscientia*. Hinc ergò patet, quod absque illo iudicio practico (stante deliberatione) intellectus maneret adhuc dubius: cum dubio autem practico de honestate actus, non potest fieri actus bonus, sed semper malus, juxta dicta sup. de conscientia dubia: *igitur ad bonitatem actus humani requiritur iudicium practicum de honestate actus; quæ est quarta pars resolutionis probatæ.*



CONFERENCE XLVIII.

De voluntario ac libero requisito ad actum humanum.

66. **V**oluntarium aliud est *elicatum*, seu actus à voluntate productus ex prævia cognitione, & in ea velut subiecto receptus; cuiusmodi sunt *volitio, nolitio, amor, odium, consensus, dissensus: imperare, revocare, &c.* aliud est voluntarium *imperaturum*, seu actus voluntatis imperatus, & factus ab aliis potentiis; ut puta intellectu, appetitu sensitivo, sensibus, potentia locomotiva; cuiusmodi sunt *cogitare, credere, studere, ambulare, edere, bibere, &c.* ita volente voluntate, Aliud denique est voluntarium *imputatum seu interpretativum*, quod nec immediate fit à voluntate, neque ab ea positivè, directe vel expressè imperatur; dicitur tamen volitum ob certam rationem; quia nimirum, vel ad id voluntariè causam dedit, ut fieret: vel cum potuisset & debuisset impedire, ne fieret, & non impedivit, ideoque voluntati *imputatur*, & quasi *interpretatur* voluntarium. V. g. Murarius projecit tegulam ex tecto, & occidit hominem prætereuntem, licet non habuerit voluntatem ipsum occidendi, si tamen antecedenter nullum signum constituerit, nec clamaverit, ut sibi caverent prætereuntes, *imputatur* ipsi occisio ut voluntariè volita.

Aliud iterum est voluntarium *directè & in se*, quod scilicet per se procedit à voluntate, seu est actus, qui per se intenditur, elicitur, imperatur vel admittitur à voluntate; ut si deliberatè odio habes hominem, vis occidere, occidi imperas, occidere

volenti consentis, &c. aliud voluntarium *indirectè* seu *in alio & in sua causa*, quod per accidens tantum procedit à voluntate, & licet secundum se, & in se non intendatur, elicitur, vel imperatur à voluntate, tamen ratione alicujus alterius per se voliti prævidetur necessario consequi; & ideò voluntati censetur voluntarium, & velut imputatur ut tale.

Atque hoc rursus duplex est: unum voluntarium *indirectè in causa positiva*, quando scilicet homo voluntariè ponit causam, ex qua prævidet, vel prævidere deberet secuturum talem effectum: v. g. indulget cogitationi vel lectioni turpi, sentiens periculum proximum secuturæ resolutionis naturæ carnalis, is quamvis directè minimè vult, imò nolit talem turpitudinem, indirectè tamen censetur velle pollui; atque ita secuta pollutio illa erit indirectè voluntaria. Alterum est voluntarium *indirectum in causa negativa*, si nimirum voluntas, cum posset & deberet, non aufert causam prævisi effectus, vel non impedit, quo minus effectus prævisus sequatur; ut si ab aspectu non amoveas imaginem turpem: non extinguas candelam prævisò incendio, &c. His prænotatis fit

67. RESOLUTIO I. Actus humanus debet esse voluntarius & liber simpliciter, non tantum à coactione & violentia extrinseca, sed etiam à coactione & determinatione intrinseca ad necessarium agendum, positis omnibus ad agendum requisitis. Est omnium Cathol. & SS. PP.

Probatur autem ex ipso nomine & notione *actus humani*: Omnium enim sensu & consensu *actus humanus dicitur*, qui fit ita proprius homini, ut fit in

ejus libera potestate ac dominio, quòd fiat, vel non fiat, duret, vel non duret: sed ad hoc necessariò requiritur, ut sit simpliciter voluntarius ac liber, non solum à coactione, sed etiam à necessitate. Quod si enim actus, positus ad agendum requisitis, necessariò fiat, ut non possit non fieri (cujusmodi est calefactio ab igne præsentè, vel visio ab oculo aperto & colorato illuminato) jam non erit in libera potestate & dominio hominis, ut fiat, vel non fiat: igitur, &c.

68. RESOLUTIO II. Ad hoc, ut ex causa posita vel non ablata, effectus secutus censeatur voluntarius directè, atque ad peccatum imputetur, requiritur 1. ut operans sciat & advertat, aut certè scire debeat, seu inculpabiliter non ignoret, ex tali causa à se posita, seu non ablata consecuturum talem effectum, vel ejus grave periculum. Quod si enim id nullo modo sciat, vel expertus sit, effectus secutus non poterit censerì etiam indirectè voluntarius; quia nullò modò cognitum: e. g. bibis ad satietatem ignorans fortitudinem vini, & postea inebriaris. 2. Requiritur, ut etiam possis impedire talem effectum causam tollendo, vel non ponendo: si enim non possis auferre causam, non imputabitur tibi effectus ut voluntarius & culpabilis; ut si necessariò equitans advertas periculum pollutionis, vel ea defectò contingat. 3. Quod si nulla lege (charitatis vel justitiæ) tenearis non ponere talem causam, vel abstinere à tali actione, ex qua prævides effectum secuturum, effectus secutus non erit tibi voluntarius moraliter, neque ad culpam imputari poterit v. g. Confessarius excipit

confessiones faminarum formosarum: legit lib-
 ros de tali materia pro necessaria instructione:
 Chyrurgus medetur in partibus verecundis: & si
 etiam commoditatis tantum gratia equites, &c. &
 exinde iminet periculum carnis (quia hi omnes
 nulla lege tenentur abstinere à tali actione, quin
 potius aliqui ex officio debent talia agere) ideo
 effectus quicumque secutus (secluso semper con-
 sensu, quo fieret voluntarius directe) omni culpa
 voluntaria vacabit. 4. Denique etsi scias & pos-
 sis auferre causam, vel aliter impedire effectum ali-
 quem, si tamen non tenearis aliqua lege charitatis
 vel iustitiae, permissio quidem ipsa poterit tibi esse
 voluntaria, non verò effectus secutus, nec conse-
 quenter tibi ut causae morali ad culpam imputabi-
 tur. Ratio est: quia permissivè & negativè tan-
 tum se habenti in ordine aliquem effectum, effec-
 tus secutus nunquam imputatur ut causae morali,
 nisi ille habeat obligationem aliquam impediendi
 illum. Alioquin certè sequeretur, omnium ho-
 minum dæmonumque peccata Deo esse volunta-
 ria, cum sciat & possit, & tamen impedire nolit:
 nimirum quia impedire non tenetur, sed potius ut
 causa universalis permittere decet singulas causas
 suos motus agere. Unde si caupo apponens vi-
 num sese inebriaturis, etsi sciat & possit (quia tamen
 non tenetur) impedire ebrietates & alia secutura
 ei nec voluntaria, nec ad culpam imputari possunt.
 Excipe, si esset superior potitantium,
 Hinc rectè sequitur

Quan

69. S

& infu

& occ

inebrie

morta

tere &

git se t

RE

rium t

tà, vel

tunc, o

hic tra

Pro

tio, ad

rò ten

ratio

volun

luntar

tà cau

Se

vacat

tus sc

quid

moll

ti hu

dom

ariè

CONFERENCE XLIX.

Quando committatur peccatum indirectè
voluntarium?

69. Sensus quæstionis est, an (quando potitans
v. g. advertit se ulteriori potu inebriandum,
& insuper expertus scit, se in ebrietate solere rixari
& occidere, nihilominus ulterius bibit usque dum
inebrietur, rixetur, percutiat & occidat) tunc peccet
mortaliter, quando in ebrietate incipit rixari, percu-
tere & occidere, an verò pro illo priori, quo intelli-
git se talia solere patrare in ebrietate?

RESOLUTIO: Peccatum indirectè volunta-
rium tunc committitur, quando culpabiliter posi-
tà, vel non ablatà causà effectus prævidetur, & non
tunc, quando re ipsa sequitur. *Ex communi Laym.
hic tract. 2. c. 3. n. 5.*

Probatur: Quia pro illo priori adest adhuc ra-
tio, adeoque capacitas peccandi, pro posteriori ve-
rò tempore ebrietatis perfectæ nulla amplius adest
ratio sufficiens ad peccandum, nec consequenter
voluntarium: igitur tunc peccatum indirectè vo-
luntarium committitur, quando culpabiliter posi-
tà causà effectus prævidetur. Unde

Sequitur I. Qui vesperi decumbens voluntariè
vacat turpibus cogitationibus, prævidens & exper-
tus sciens in somno secuturam pollutionem, tunc
quidem peccat mortaliter peccato impudicitiae &
mollitiei; & non amplius quando postea dormien-
ti huiusmodi turpitudine contingit. II. Qui die
dominico vel festo manè vino cremato se volun-
tariè inebriat, & somno dat, prævidens omninò sa-

rum negligendum; proinde tunc peccat contra præceptum Ecclesiæ, quando se inebriat, non autem cum dormit & negligit audire sacrum. III. Quando venenum propinasti: lapidem projecisti; sagittam ejaculatus es (etiam directa occidendi intentione) non tunc primò peccas, cum effectus sequitur, sed dum liberè ponitur causa, aut non auferitur. At contrà

Dices: si non peccatur amplius tunc, quando effectus sequitur, quare ergo talis in confessione teneatur se accusare, se homicidium perpetrâsse? sacrum neglexisse, &c. R. Id ideo requiri, ut intelligatur gravitas peccati commissi, quantum nimirum fuerit periculum, cui se operans exposuit; tum etiam ut intelligatur obligatio contracta restitutionis, censuræ, irregularitatis, &c. quia hæc etiam post confessum ac remissum peccatum remanent.

Unde notat bene *Patrit. noster hic n. 25*, Opinione Suarezii speculativè tantum probabilem esse, videlicet eum, qui tegulam ex tecto projecit cum periculo præviso occidendi hominem, satisfacere, si hoc ipsum fateatur in confessione, nec debere exprimere, quod mors secuta sit: quia tunc solum peccavit, quando causam posuit, non verò postea, quando non est amplius in potestate, quin effectus sequatur, licet vel maximè vellet impedire; ideoque in se & coram Deo neque majus, neque minus

peccatum videtur, sive effectus sequatur, sive

non.

CON-

CONFERENTIA L.

Quomodo intelligenda sit Regula 43. in 6.
qui tacet, consentire videtur?

70. **Q**uia voluntarium aliud est *expressum*, quod scilicet verbis vel signis æquivalentibus exprimitur; ut dum superior expressis verbis quidpiam præcipit aut prohibet, dicitur expressa voluntas superioris. Aliud voluntarium, *tacitum*, quod etiam interpretativum vocant, estque quod absque expressione verborum ex facto aliquo vel omissione voluntarium esse ostenditur; ut si superior videat subditos colludere vel bibere, & dissimulet, censetur tacite concedere lusum vel comotationem: hinc est tritum illud, *qui tacet, consentire videtur*, de quo proinde hic quæritur, an sit universaliter verum?

RESOLUTIO: Hæc Regula non est universaliter vera patet ex statim sequenti alia Regula 44. *Qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur.* Etenim taciturnitas seu silentium de se, neque assensum, neque dissensum significat, nisi accedant aliæ aliquæ conjecturæ; quas affert Sanch. l. 1. de Matrimon. Disp. 5. & 6. ex ipso Layman. hic c. 3. n. 3.

I. Igitur tacens consentire videtur, quando agitur de ejus favore vel commodo; non item si agatur de ejus gravamine, incommodo aut præjudicio.

II. Tacens censetur consentire, qui deberet contradicere, & non contradicit. Sic reus in judicio ad objectum crimen jussus respondere, si taceat, fatetur.

fateri præsumitur. C. si post. De Confessione in 6. Item sedens in Concilio vel Capitulo, si iniquæ constitutioni vel electioni non reclamet, si utiliter possit, censetur consentire. Com. DD. apud Laym. cit.

III. Quando quis ex duobus sibi objectis, unum tantum negat, censetur tacite fateri alterum. C. Nonne de præsumptionibus.

IV. Unde Principis, Prælati, Superioris, &c. Taciturnitas consensus æstimatur, quando citra periculum alicujus incommodi, vel scandali, impedire ac contradicere possit.

Impedientia voluntarium ac liberum, ideoque & ipsum actum humanum?

71. **Q**uatuor communiter numerantur: Ignorantia, violentia, metus, & concupiscentia. Quia enim voluntarium debet procedere ex prævia cognitione, hinc ei repugnat ignorantia: & quia debet procedere à principio intrinseco, hinc ei repugnat violentia: & quia liberum debet procedere à principio indifferenti ad agendum & non agendum; unde illud videtur impedire metus & concupiscentia. Hinc de singulis ordinatim sit

CONFIDENTIA II.

De Ignorantia ex parte subjecti.

I. **U**na est *negativa*, seu carentia notitiæ in subjecto non apto habere talem notitiam; talis est ignorantia Dei in lapide, bruto, infante, & amente. Alia est ignorantia *privativa*, sive carentia notitiæ in subjecto apto habere talem notitiam; ut si homo adultus nesciat, quæ secundum statum suum scire

scire potest, vel etiam deberet. Tertia denique est ignorantia positiva, sive carentia notitiæ veritatis cum positivo contrario errore; ut si nescias Christum esse Deum, putans purum esse hominem: vel si nescias animal à te percussum esse hominem, putans esse feram.

De ignorantia ex parte objecti.

II. Videlicet ignorantia juris, quæ ignoratur Lex, ejusve obligatio; ut si nescias pro tali vigilia jejunium Ecclesiasticum indictum esse. Ignorantia facti est, quæ ignoratur factum aliquod seu res particularis, ejusve conditio, ex qua actio moralis quoad suam bonitatem vel malitiam dependet; ut si nescias, non advertas non recorderis hodie esse diem veneris, vel vigiliæ; aut carnem esse quod comedis, &c.

De ignorantia antecedente & concomitante.

III. Ignorantia antecedens & causa operis est, quæ si abesset, effectus non fieret; ut si occidisti hominem, putans esse feram, eum sanè ex ignorantia tanquam causa occidisti, aliàs minimè occisurus. Ignorantia concomitans tantum est, quæ licet abesset, effectus adhuc fieret; ut si inimicum, quem maximè occisum velles, defacto occidisti, ignorans tamen hominem fuisse vel inimicum tuum, putans esse feram: adeoque non ex ignorantia tanquam causa, sed solum cum ignorantia concomitante occidisti: quia tamen etsi non ignorasses, tamen occidisses, quæritur an ista occisio fuerit voluntaria?

De

De ignorantia invincibili & vincibili.

IV. *Ignorantia invincibilis & inculpabilis* est, quæ morali studio tolli non potuit; utpote quia vel nunquam venit in mentem dubitare de tali re: vel etiamsi in mentem venisset, tamen morali & ordinaria adhibita inquirendi diligentia cognitio veritatis haberi non potuisset. Atque hæc simpliciter non potest esse voluntaria directè, nec indirectè; siquidem omnem actum voluntatis antecedit. *Ignorantia vincibilis & culpabilis* est, quæ morali adhibita diligentia superari potest, & deberet si v. g. venerit in mentem cogitare vel dubitare de tali re: vel si ignorans teneatur scire illam rem spectantem ad suum statum vel officium: talis enim tenetur inquirere veritatem & notitiam rei ignoratæ, alias ipsi imputabitur, ac si eam novisset.

V. Atque hæc *Ignorantia alia est affectata*, seu directè voluntaria, cum scilicet quis datâ operâ vult ignorare, & ideo non inquirere veritatem, vel ob tædium discendi, vel ut possit eò liberius peccare, & transgressionem legis cum ignorantia excusare; ut si ex proposito non vis discere præcepta Ecclesiæ, vel tuæ Regulæ. Alia est *ignorantia probabilis non affectata*, seu indirectè tantum voluntaria; quâ quis non quidem vult ipsam ignorantiam in se, non vult tamen adhibere sufficientem diligentiam inquirendi veritatem; unde eò ipso convincitur indirectè velle ignorantiam. His prænotatis sit

72. RESOLUTIO I. Voluntarium, adeo
que

que actum humanum & peccatum omninò tollit ignorantia quævis invincibilis juris & facti, non tantum antecedens, sed etiam concomitans. Ita communis.

Ratio est manifesta; quia omne voluntarium sufficiens & requisitum ad actum humanum necessarium debet esse præcognitum: & quacunque ratione non est præcognitum, ea ratione non potest esse voluntarium: sed quævis ignorantia invincibilis & inculpabilis, juris vel facti, saltem antecedens, sicut ipsamet omninò involuntaria & inculpabilis est, ita rem seu objectum involuntariò & inculpabiliter reddit incognitum, & consequenter involuntarium. Itaque si quis die veneris comedat carnes, nesciens vel non advertens esse diem veneris, aut esse carnem, quod comedit, reddit incognitum, & consequenter involuntarium actum, objectum, & circumstantiam prohibitam; atque hæc est ignorantia facti: similiter ignorantia juris, si fortè hodie comedas carnes, nesciens esse prohibitum, facis actum involuntarium quoad ipsam prohibitionem.

Eadem est ratio de ignorantia concomitante; quia etiam invincibiliter reddit incognitum id, quod agitur v. g. si inimicum occidisti invincibiliter ignorans esse hominem illum (quantumvis alioquin maxime velles occisum) defacto tamen invincibiliter ignorasti eum esse hominem inimicum tuum, illum putares esse feram; consequenter etiam ignorantia concomitans verè tollit voluntarium & peccatum.

Dices: iste occidens cum ignorantia concomitante

tante

tante est ita affectus, ut, si sciret esse suum inimicum, ipsum nihilominus occideret: ergo peregrinum actum peccaminosum. R. neg. conseq. Deus enim homini non imputat peccata, quæ faceret, si ipsi hoc vel illud in mentem veniret, sed ea tantum, quæ defacto sciuntur, & fecit.

73. RESOLUTIO II. Non item tollit voluntarium ignorantia vincibilis & culpabilis, minus tamen, saltem non affectata. Omnes cum S. Thom. 1. 2. q. 76. a. 4.

Ratio primæ partis est; quia illud censetur saltem indirectè voluntarium & peccaminosum, quod ita procedit à voluntate, ut potuisset & debuisset non procedere: sed quod fit ex ignorantia vincibili ac culpabili quacunque, ita procedit à voluntate, ut potuisset non procedere, imò debuisset evitari: potuit enim & debuit voluntas inquirere veritatem, eaque cognita non facere illum actum: igitur ignorans v.g. hodiè esse diem jejuni, cum posset & deberet inquirere, nec inquit, sed comedit carnes, censetur saltem indirectè velle obiectum hic & nunc prohibitum; consequenter peccare.

Ratio secundæ partis est, scilicet ignorantiam etiam vincibilem, minuere peccatum; quia per se loquendo, & in genere voluntarii, id semper minus est voluntarium, quod indirectè tantum est tale, quàm quod etiam directè tale esse convincitur: sed quidquid fit ex ignorantia vincibili, etiam crassa vel supina saltem non affectata, est tantum indirectè voluntarium: ergo minus voluntarium, ideoque minus peccatum. Porro ignorantia affectata

tata (quia directè est voluntaria & procedens ex magna voluntatis propensione ad malum, saltem tunc, quando expressè intenditur, & opposita cognitio respuitur, quatenus quis sine ullo conscientie remorsu liberius peccet) non censetur minuire, sed potius augere voluntarium & peccatum; cum adeo censetur adhærere peccato, ut etiam horreat scientiam avocantem à peccato: quales fuere impij illi apud *Job. c. 21. recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.*

CONFERENTIA LII.

An ignorantia etiam excuset à pœna?

74 **R**ESOLUTIO I. *Ignorantia invincibilis Juris* statuentis pœnam; & *facti*, sicut ab omni culpa, ita etiam ab omni pœna excusat. Ita omnes.

Ratio est; quia nim: pœna decernitur ob culpam; ergo cessante culpa tanquam causa, cessare etiam debet pœna tanquam effectus. E. g. Percussisti clericum invincibiliter ignorans, eam percussionem esse ab Ecclesia prohibitam sub pœna Excommunicationis: aut nesciens, vel non advertens illum esse clericum, non incurris pœnam Excommunicationis &c. Imò etiam ignorantia vincibilis, dummodò non sit crassa vel supina, excusat à pœna à legibus decreta; ut si in exemplo alato suspicans fortè esse Clericum, & absque sufficienti inquisitione credas non esse, & percutias, non incurris censuram: quia ignorantia quæcunque non crassa censetur levis; ideoque sicut culpæ gravitatem minuit, & venialem reddit, ita æquum

Pars II.

G

est,

est, ut & pœnam minuat, vel etiam tollat, si pœna est latae sententiæ. Si verò pœna est sententiæ ferendæ à Judice, is aut veniam delicti dare, aut aliam mitiorem arbitrariam imponere debet.

RESOLUTIO II. Ignorantia Juris vel facti (lata, crassa, vel supina) sicut non excusat à mortali peccato, ita neque à pœna per legem decreta, etiamsi gravis illa sit. *Com. DD. ex c. de confit. in 6.* Excipe, nisi pœna decreta sit cum hujusmodi formulis: *qui scienter, temerariè, ausu temerario contra fecerit, vel contra facere ausus fuerit, vel presumpserit &c.* Tunc enim etiam ignorantia crassa vel lata (at non affectata) excusabit. *Ut cum com. docet Sanch. l. 9. de Matrim. Disp. 32 a. n. 30.* Hujus exemplum habetur in *Jur. 1. c. 1. de eo, qui cognovit.* Si quis cum filiastra sua (filia uxoris) scienter fornicatus fuerit, nec à matre debitum petere, nec filiam unquam poterit habere uxorem. Ex quo colligit *Sanch. cit. n. 47.* etiam ignorantiam facti crassam excusare ab incurrenda pœna privationis juris petendi debitum eum, qui consanguineam uxoris suæ cognovisset. Ad didi per parenthesis (at non affectata) quia hæc scientiæ æquipollet, adeoque nullam peccantibus excusationem adfert.

CONFERENTIA LIII.

An sciens legem, & ignorans pœnam annexam, reus utriusque prævaricando efficiatur?

75. Sensus quæstionis est, an, qui scit v. g. præceptum ecclesiasticum, de annua commu-

nione paschali, ignorat autem pœnas annexas, iis justè puniatur, si legem prævaricetur? item maritus, scit lege ecclésiastica specialiter prohibitam esse copulam cum consanguinea uxoris intra secundum gradum, ignorans annexam pœnam abstinenti à petendo debito, an eam nihilominus incurrat?

RESOLUTIO I. est affirmativa. Est communis cum *Molina tract. 5. de just. disp. 71. Sanch. Laym. &c.*

Ratio est: quia omnibus notum est, transgressorem justæ legis justè puniri pœnâ aliquâ, vel ordinariâ à lege statutâ, vel arbitrariâ judicis: ergo qui voluntariè legem transgreditur, eo ipso implicite censetur consentire in pœnam, si quæ lege sancita sit, saltem ordinariam & non exorbitantem, ac consequenter justè ad illam obligatur.

76. RESOLUTIO II. Nullus incurrit censuram ex delicto, etiam contra notam legem, si ignoret illi annexam esse censuram, ignorantia quavis non crassâ vel affectatâ. Ex communi *Sanch. Navar. Suar. Laym apud Patric. hic n. 39.*

Ratio est: quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia: nullus autem potest censerì contumax contra legem Ecclesiæ cum comminatione tantæ pœnæ aliquid præcipientis vel prohibentis delinquens, quando ipsam pœnam ignorat.

77. RESOLUTIO III. Sciens legem, & ignorans pœnam exorbitantem, seu graviolem, quam delictum absolute spectatum mereatur, non obligatur ad pœnam.

Ratio est: quia in talem pœnam ignorans nullo modo censetur consentire, si legem transgrediatur; ut si peregrinus transeat per regionem, in qua sub pœna mortis prohibita est venatio ferarum; non erit tantâ afficiendus pœnâ, si legem notam quidem violet, sed ignorans gravitatem pœnæ. Unde bene resolvit *Sanch. l. 4. in Decalog. c. 22. n. 19.* Si quis vovit non fornicari sub pœna proficendi Religionem, & postea memor quidem voti, at in memor pœnæ, fornicetur, non obligabitur ad pœnam; quia est exorbitans.

CONFERENTIA LIV.

De involuntario ex violentia.

78. *Violentum & coactum* in proposito dicitur, quod fit à principio extrinseco voluntatis contra ejus naturalem vel elicitam inclinationem; utpotè voluntate cooperante vel consentiente, sed potius resistente ac nolente; ut si quis violento aperto ore, vinoque affuso inebrietur, renitente voluntate: aut inclusus cogitur negligere sacrum: aut trahitur ad idola adoranda, per vim curvatis genibus prosternitur, manusque cum thure prostratis admoventur &c.

RESOLUTIO: *Violentum seu coactum, non in actibus voluntatis elicitis, sed imperatis tantum, tollit omne voluntarium, omnemque culpam.* Est certa apud omnes.

Ratio est: quia in actibus elicitis repugnat violentari voluntatem: etenim violentum est à principio extrinseco, & contra inclinationem passivam atque omnis actus elicitus voluntatis est à principio

pio intrinseco ipsius voluntatis, & vel maximè secundum inclinationem illius in objectum: si unum horum desit, hoc ipso non erit actus elicited voluntatis: consequenter *voluntas quoad actus elicited non potest esse involuntaria*; sed solum in actibus imperatis aliarum potentiarum, præsertim externarum, quatenus contra inclinationem & imperium potentie volitive, membra externa possunt ab extrinseco principio compelli ad agendum, non agendum, vel patiendum aliquid, ut patet ex exemplis allatis de compulso ad ebrietaem: de vi tracto ad idola adoranda: de Virgine vi oppressa &c. quæ proinde vis externa *tollit omne voluntarium*, utpote voluntate minimè cooperante, sed omnimodè resistente & renitente.

CONFÉRENTIA LV.

De Metu.

79. **M**etus definitur à Jurista l. 1. ff. de eo, quod metùs causa, quod sit *instantis vel futuri mali causâ mentis trepidatio*. Adeoque agere ex metu, est ex timore mali iminentis vel futuri aliquid agere, quod aliàs non ageret.

Metus sic definitus alius est *ab extrinseco*, cum quis ad avertendum aliquod malum à causis naturalibus vel fortuitis iminens quidpiam agit, aliàs non acturus. Ut si metu naufragii merces è navi projicias: peregrinationem voveas &c. Metus *ab intrinseco* incussus dicitur, qui à causa libera, seu ab alio homine directè incutitur ad agendum aliquid, quod alter aliàs nollet: isque potest esse vel *justus*, incussus scilicet à persona, quæ justè potest incu-

incurere; vel etiam debet: ut si is, qui sponsalia contraxit, volens resilire sine justa causa, compellatur à Magistratu Ecclesiastico ad matrimonium contrahendum: vel *injustus*, incussus scilicet à eo, qui nullum habet jus incutiendi; ut si Latro mortem minuetur, nisi pecuniam des vel promittas: si alius mortem vel aliud grave malum minuetur, nisi filiam suam uxorem ducas &c.

Metus iterum alius est *gravis & cadens in constantem virum*, quo grave malum vitæ, famæ, vel magis fortunæ intentatur, quale scilicet etiam forti viro meritò sit formidabile: cujusmodi sunt metus mortis, mutilationis, cruciatus atrocis, servitutis, exilii, carceris diuturni, gravis infamiæ, stupri violenti, amissionis status honorifici, aut omnium bonorum &c.

Alius est *metus levis & non cadens in constantem virum*, qui ob leviora mala iminentia vel intentata suscipitur. Alius denique est *metus reverentialis*, quo scilicet filius timet offensionem parentum, pupillus tutorum, subditus principis, Monachus Prælati, Clericus Episcopi, uxor mariti. His præmissis sit

RESOLUTIO I. *Metus Reverentialis (etiam respectu matris, maxime si conjungatur sollicitationibus importunis, & aliis similibus mediis) æquivaler in adolescentem filios familias timorato & meticuloso sub cura parentum degente, ab usque dependente, metui cadentem in constantem virum.* Ita in terminis P. Marchant in Resol. notabil. casuum de Sacram. Ord. casu 2. Sanchez l. 4. de Matrim. Diss. 5. n. 5. 7. & 8. quos referet & sequitur noster Patrit, hic n. 48. Ex quo proinde

Probatur & explicatur: Quia *metus cadens in constantem virum* ex tribus mensurari debet, utpote; *ex persona metum inferente*, cui magna obligatio debetur; ut est parens, præcipuè si magna auctoritate, animositate, austeritate & gravitate polleat apud filium, ita ut magno illi timori sit & formidini. 2. *Ex persona metum patiente*, quæ de se timida & pusillanimitas sit; ut constat de filiis familias, qui interdum plus timent oculum parentum, indignationem aut aversionem, quàm grave malum ab externa persona illatum. 3. *Ex objecto vel modo inferendi*. Etsi enim subinde nec minæ nec verbera interveniant, torvus tamen vultus, indignatio, timor diminutæ dilectionis, vel damni alicujus in dispositione bonorum, vel durioris tractationis, sæpe metum cadentem in constantem virum causant: ut pro dolor! frequenter experimur in filiis familias, qui invitati ad Religiones, vel alios status capessendos contra propriam voluntatem quasi coguntur. Unde fit, quod metus, qui in uno censetur levis, in alio gravissimus reputetur: & ideo jure decretum est, ut ubi aliqua dubietas suppetit, arbitrio Judicis vel personæ gravis in foro externo; vel in interno arbitrio confessarii, aut alterius viri prudentis relinquatur; ut tenent communiter DD. cum glossa in *c. cum dilectus de his, quæ vi*. Ex quibus omnibus constat, ex metu reverentiali fieri metum cadentem in constantem virum.

Dixi in Resolutione per parenthesis (*etiam respectu matris*) solent enim matres sæpe animosiores, ac severiores esse in proles, aut certè impudentiores, ita ut indignatio matris apprehensa

hensa plus torqueat quam patris; utpote quod matres soleant frequenter etiam patres ad indignationem adversus filios concitare. Hæc Marchant *cit.*

80. RESOLUTIO II. *Metus quicumque perturbans rationem, non causat involuntarium simpliciter, sed secundum quid tantum; adeoque per se non tollit actum bonum; nec in toto excusat à peccato. Ex Patrit. cit. &*

Probatur I. pars: Quia voluntarium est, quod deliberatè fit ab agente cognoscente singula: sed omnis ex quocumque metu agens (v. g. metu mortis dans pecuniam latroni: metu naufragii eiciens merces in mare &c.) deliberatè omnino, consideratis omnibus, tanquam hic & nunc bonum eligit pecunias dare, vel merces ejicere: ergo metus quicumque relinquit actum ex eo factum verè voluntarium; consequenter non causat involuntarium simpliciter: quia autem id fit cum aversione voluntatis, displicentia & tristitia, metus reddit actum aliquò modò involuntarium secundum quid igitur &c. Unde Juris Consultus in *l. si mulier de eo, quod metus causa.* dicit: *Si metus causa alii hereditatem, puto me heredem fieri: quia quamvis liberum esset, noluissem, coactus tamen volui.*

Probatur II. pars: Adeoque per se nec tollit actum bonum; Eo ipso enim, quo metus relinquit actum voluntarium simpliciter, etiam relinquit bonum, si nil aliunde deficiat.

Probatur III. Pars: *Nec in toto excusat à peccato.* Siquidem metus relinquens voluntarium simpliciter in actione aliàs mala, etiam relinquit peccatum simpliciter.

simpliciter: & e contra eo ipso, quo metus admixto involuntario secundum quid, ipsum voluntarium minuit, adeoque & culpam, id est, excusat à peccato eò magis, quo gravior vel iniustior est metus; in tantum, ut metus gravissimi mali totaliter excusare possit à peccato *indirectè*; 81. quatenus scilicet in casu tanti mali vel periculi ipsa Lex obligare cessat: v. g. Lex homicidii obligare cessat, quando iminet periculum propriæ mortis ab injusto invasore: Lex furti obligare cessat in casu extremæ necessitatis: Lex restitutionis cessat obligare, quando timetur grave damnum vitæ vel famæ propriæ &c. *Ut omnes docent.* Similiter metus gravis etiam subinde excusat in transgressione legis divinæ positivæ, quando hæc respicit bonum seu utilitatem propriam operantis: ut de integritate confessionis: de confessione præmittenda ante communionem: de observatione votorum, festorum &c. Cum enim hæc & similia divinitus jubeantur ob bonum spirituale operantis, non præsumitur bonus Deus velle obligare cum tanto rigore & periculo operantis. Secus est de legibus divinis principaliter respicientibus bonum commune Ecclesiæ; cujusmodi sunt omnia Christi positiva præcepta de administratione Sacramentorum in certa materia & forma: consecratione in duplici specie: sigillo confessionis servando &c. in quibus nullo metu excusatur transgrediens. Ita Suarez. Vasq. apud Bonacin. *Disp. 2. de peccat. q. 5. p. 2.* Porrò metus verè gravis mortis &c. per se semper excusat in transgressione legum & præceptorum humanorum Ecclesiasticorum

rum & Politicorum; quia hæc ex mente Legislatorum nunquam censentur obligare cum tanto rigore; nec obligare possunt, quia eo ipso essent iniuste & irrationabiles ut iterum communis DD. in materia de legibus. § 1. Dicitur est autem *per se*; quia per accidens lex humana potest obligare, & de facto obligat etiam cum certo periculo vitæ, famæ vel fortunæ nullo omnino metu excusante; quando scilicet concurrat aliqua Lex superior ita obligans; ut puta quando ex legis humanæ observatione maius Reipublicæ bonum speratur: vel ex ejus neglectu majus malum communitatis timetur, quam æstimari debeat periculum vitæ, famæ vel fortunæ unius hominis privati: v. g. si Summus Pontifex Sacerdoti præcipiat, ut etiam cum vitæ periculo fidem Paganis prædicet ob speratum lucrum animarum: si Episcopus Parocho, Princeps Medico inbibeat tempore pestis, ne fugiant: si Belli Dux militi præcipiat, ut stationem servet, hostem aggrediatur, & tenentur parere, etiam cum evidentissimo mortis periculo ita *rursus omnes*. Deinde quando transgressio humanæ legis vel præcepti cessura est in contemptum potestatis legislativæ, fidei aut Religionis Christianæ detrimentum, grave scandalum aut ruinam spiritualem proximorum, aut peccatum proprium. Tunc enim ipsa lex naturalis obligabit ad observationem legis humanæ, & transgressionem intrinsicè malam constituet. Quare metus mortis vel alterius gravis mali per se quidem semper excusat in legibus positivis & præceptis Ecclesiæ (utpote de jejuniis servando, missa audienda in die festo, de celebrando cum certis para-

men-

mentis sacris, &c.) versans tamen inter hæreticos die jejunii licitè potest comedere carnes, aut die festo omittere sacrum, ne agnitus Catholicus grave periculum aut damnum incurrat.

82. At verò si comestio carnis proponeretur in contemptum Religionis & ad professionem sectæ hereticæ, utpote dicendo: *Quisquis est aversus à Fide Papistica, nobiscum carnes comedat.* tunc jam Catholicus obligabitur cum certo vitæ periculo abstinere; quia in his circumstantiis carnes comedens ipso actu fidem negaret, quod est intrinsecè malum. Eodem modo, si tyrannus morte intentata compellat sacerdotem celebrare non jejunum, vel sine sacris vestibus Ecclesiastico jure requisitis, potest id extra peccatum facere; non item si id fiat in contemptum fidei aut Ecclesiæ. Item excommunicatus non tenetur cum periculo vitæ vel famæ abstinere à communione fidelium, etiam in sacris; quin etiam Sacerdos vel Parochus occultè excommunicatus tenebitur celebrare, & Sacramenta ministrare, cum ex officio petitur, atque absque sua infamia, vel aliorum scandalo negare nequit. *Sanchez. l. 1. moral. c. 18.* Aliter iterum sentiendum est, si ad id metu urgeretur in contemptum Ecclesiæ. Ita denique aliquis metu mortis, vel alterius gravis mali adactus licitè contrahet matrimonium cum consanguinea vel affine, aliòve impedimento jure positivo dirimente (cum intentione faciendi, quantum licet) non tamen licitè consummabit ante impetratam dispensationem; aliàs esset copula fornicaria lege naturali prohibita, & intrinsecè mala: ita rursus *Sanchez l. 7. de Matrim. Disp. 16. Layman.*

man. & comm. Cæterum si talis gravi metu contrahat, etiãque consummet matrimonium cum consanguinea, non tamen incurrit excommunicationem in jure latam *Clem. un. de Consanguinitate & Affinit.* quia ad censuram incurrendam requiritur contumacia: qui autem ex gravi metu peccat, alioquin non peccaturus, non potest censerì contumax: igitur, &c. ita ex communiore *Suar. l. 3. de leg. c. 30. Laym. l. 1. tract. 5. part. 1. c. 5. n. 3.* quos refert & sequitur noster *Patrit. cit. n. 52.*

CONFERENTIA LVI.

An metus saltem infirmet promissiones, vota, & contractus?

83. RESOLUTIO: Metus quicumque non perturbans rationem, non infirmat promissiones, vota, nec contractus, nisi sit gravis, & injustè incussus ad extorquendum. Ita *Patrit. n. 54. &c.*

Probatur: quia voluntarium sufficiens ad actum humanum perfectum, & ad peccatum mortale, per se loquendo est etiam sufficiens ad contrahendum obligationem promissionis, voti & contractus, nisi specialis lex vel ratio obstet: sed id quod fit ex metu quocumque, non perturbante rationem, adhuc est simpliciter voluntarium, ac sufficiens ad actum humanum ac peccatum mortale, ut probatum est *Confer. preced.* Ergò per se loquendo, etiam est sufficiens ad contrahendum obligationem promissionis, voti, &c. consequenter non invalidabit hujusmodi promissiones, vota, contractus, &c.

84. Dixi

84. Dixi I. *nisi sit metus incussus* : scilicet ab extrinseco. Quia certum est, nullum metum ab intrinseco profectum (quantumvis gravem) invalidare vota vel contractus ; utpotè si metu mortis in naufragio , tempore pestis , vel periculosi morbi , aut à judice justè inferendæ , voveas peregrinationem , Religionem , vel aliud quidpiam promittas , vel jure puellam pauperem ducere , aut dotare , &c. Votum vel promissio omni jure valent & obligabunt : Ratio est , quia sufficienter voluntaria ab intrinseco , & nihil eis obstat ab extrinseco.

85. Dixi II. *Metus incussus ad extorquendum actum*. Quod si enim metus quantumvis gravis , & injustè incuteretur , non tamen ad extorquendum actum talem , sed ad alium finem ; ut si v. g. ad evadendum manus tyranni , latronis , inimicive mortem minitantis , sponte aliquid Deo voveas vel promittas : item si ad evadendam mortem (seu justè seu injustè inferendam) sponte eligas judicis filiam ducere vel dotare , pecuniam dare , &c. Votum , contractus , vel promissio omnino valida erunt , obligabuntque , ob eandem rationem : & insuper quia licèt metus injustè incussus fuerit occasio non tamen fuit causa vera ita vovendi vel promittendi ; sed sola libera voluntas , quæ tale medium ad evadendum malum iminens eligit præter intentionem metum incutientis. Ita *Sanch. l. 4. moral. c. 3. n. 3. Marchant, tribun. p. 2. tract. 3. tit. 4. dub. 2. & comm.*

86. Dixi III. *Metus gravis*, seu cadens in constantem virum, consideratis prudentis judicio circumstantiis

stantiis

stantiis sup. relatis ex Marchant. Confer. 55. Resol.
 I. Qua propter metus verè levis nullo jure irritat
 actus, vota, contractus, &c. juxta communem
 & veram DD. sententiam: Ratio est; quia metus
 verè levis (etsi injustè incussus) est in potestate
 operantis ex metu, ut cum facillè repellere, illique
 non acquiescere possit: in hoc enim à gravi dif-
 fert: ergò qui talem non repellit, præsumitur
 etiam in foro conscientix omninò liberè con-
 sentire, promittere, contrahere, &c. Secus est
 de *dolo etiam levi*, quem homo ex se non potest re-
 pellere, ideoque actum ex eo profectum saltem
 in parte rescindere potest. Itaque non solum vo-
 tum solemnè Religionis, Matrimonium, Sponsalia;
 verum etiam quævis alia vota, contractus, pro-
 missiones, donationes, &c. facta ex metu levi
 (etsi injustè contra libertatem admoto) quo v. g.
 filius vel filia familias, uxor, subditus, &c. ex me-
 tu reverentiali ergà parentes, Maritum, Præla-
 tum, præcisè verentur eis contradicere, absque al-
 io timore gravis offensionis, vel gravis mali, in
 utroque jure valida sunt.

87. Dixi IV. *Metus gravis injustè incussus*. Quia
 metus quantumvis gravis, justè incussus non irri-
 tat actum extortum. Ut si v. g. Magistratus Eccle-
 siasticus sub pœna excommunicationis: aut civilis
 sub pœna mortis vel carceris compellat stupratorè
 ad ducendam vel dotandam virginem defloratam:
 aut si debitori tuo mineris justam accusationem de
 crimine patrato nisi debitum tandem solvat: item
 quando metus justus incutitur (intra vel extra ju-
 dicialium)

dicium) ad præstandum quidpiam aliàs indebitum; ut si Judex justè damnaturus sit ad mortem, nisi velis vovere Religionem, aut pauperem puellam dotare, &c. si mineris homicidam vel furem justè accusare, nisi aliquid Deo voveat, filiam tuam ducat, pecuniam promittat, &c. Ratio est: quia tota ratio irritandi tales actus esset injuria illata ad extorquendum: sed hic nulla fit injuria alteri, sed potius favor & beneficium: non enim sub coactione, sed solùm sub conditione proponit tibi, ut si evitare velis malum, cui tu liberè causam dedisti tanquam minus malum eligendo, ut voveas, ducas, des, promittas, &c. sed

Dices: Matrimonium & vota maximè libera esse: ergo talis ad ea non obligabitur. R. neg. consequ. quia talis & liber est libertate sufficiente ex optione sibi oblata, ut dictum est; & libertatem omnimodam ipsemet liberè læsit: itaque sibi adscribere debet, quod cum lata libertate contrahere debeat matrimonium, vel vovere Religionem. Quod si tamen omninò contendas hujusmodi votum vel matrimonium invalidum esse ob apparentem injuriam libertatis, fatetur Patrit. noster non improbabilem esse sententiam; contrariam *Bonnacina*, *Coninck* & alii apud *Tambur.* n. 55.

CONFERENTIA LVII.

An vota & contractus metu gravi & injusto extorti sint jure naturæ invalidi?

88. **V**alidos esse jure naturæ docent *Sanchez*, *Navar.* & alii cum *Laym.* hic c. 6. n. 8 quia, inquiunt, sunt simpliciter voluntarii, tamen à Judice facile

facile

facile rescindendi, quia per injuriam extorti: interrim consentiunt cum communi, vota solennia, Matrimonium & Sponsalia metu gravi & injusto extorta irrita esse per declarationem Ecclesie in iure canon.

RESOLUTIO I. Non tantum contractus sacer matrimonii, sponsalia, promissio vel datio dotis, promissio vel traditio bonorum Ecclesie, verum etiam omnis omnino contractus, etiam onerosus; ut venditionis, emptionis, mutui, maxime vero gratuitus, ut donationes, legata ac testamenta: ac universaliter omnis promissio, vel traditio rei, alias obligatoria, ex metu gravi & injusto extorta, ipso jure nature irrita sunt & invalida, nullamque, ne naturalem quidem obligationem justitie pariunt in metu passio, neque ullum jus conferunt extorquenti vel acceptanti. Ita *Patrit. lib. n. 56. referens Molin. Rebellum: Basil. Pontium, Dian. Tambur. & alios apud ipsos.*

Ratio clara est: quia naturali juri, rationi, & aequalitati omnino repugnat ex injuria oriri justitiam, seu jus quodpiam; quod nimirum homo per injuriam & injustitiam, injusto & gravi metu incusso extorquens alterius promissionem, vel consensum, possit sibi acquirere jus, & alteri imponere obligationem etiam naturalem justitie: ergo fatendum est talem exactioem, & acceptationem intrinsece quoad substantiam, adeoque ipso jure naturali injustam esse ac invalidam, non sicut furtum vel rapinam; ideoque acceptantem nullum omnino acquirere jus ad rem, vel in re, sed secundum communissimam (etiam advertentem)

riorum sententiam) tali metu extortum, & acceptum in conscientia sine mora restituere obligatur tanquam injuste acceptum. Quod si igitur nullum jus exigentis, nulla erit obligatio promittentis & consentientis; cum hæc sint correlativa:

Dices: quare ergo ad hujusmodi contractus rescindendos requiritur sententia Judicis? R. Eam requiri non tanquam irritantem eos aliàs irritos, sed solum ut declarantem irritos.

89. RESOLUTIO II. Vota non tantum solennia professionis religiosæ, sed etiam simplicia quæcunque non jurata, metu gravi & injusto extorta, ipso jure naturali invalida sunt in utroque foro; ac proinde nulla indigent relaxatione. *Patr. sup. n. 57. citans Sorum; Marchant. S. Bonavent.*

Ratio autem est: tum quia votum debet esse spontaneum Dei obsequium; Unde quàm maxime liberum esse convenit: tum quia jure & æquitate naturali omninò alienum videtur, quòd Deus acceptet ut obligantem promissionem hominis ab alio homine per malitiam metu gravi & injusto extortam; ut v. g. si frater fratrem intentata morte compellat (resignata hæreditate) vovere religionem: si parentes filios gravi & injusto metu compellant intrare religionem, &c. Eo ipso enim, quo Deus acceptaret ejusmodi promissionem injuste extortam, censeretur approbare injuriam & iniquitatem injuste extorquentis: ergò etiam jure naturæ irrita sunt ejusmodi vota injuste extorta. Et quidquid sit de hoc, saltem certum est, ea irrita esse declarata ab Ecclesia c. 1. perlatum: de his,

Pars II.

H

qua vi.

que vi. Et in Conc. Trid. Sess. 25. c. 18. de Regulari Excommunicationis sententia lata est in eos, qui Virginem, aliãque mulierem ad monasterium ingrediendum, aut professionem emittendam injuste coegerint: de quo late *Sanch. l. 4. moral. ca. per totum.* Atque hinc recte inferunt, *Sanch. cit. 3. n. 18.* Marchant. sup. n. 48.

90. NB. Initiatum ordine sacro ex metu violenti constantis injusto, non teneri voto castitatis (idemque est de debito recitandi divinum officium) ordini annexo. Atque ita posse sine ulla dispensatione ad nuptias transire, si nolit in usu sacri ordinis permanere. Quod si tamen, cessante metu, vel semel ordine sacro usus esset, jam resilire nequibit; quia usus ille esset ratificatio ordinis suscepti.

CONFERENTIA LVIII.

De juramentis metu gravi extortis.

91. **R**ESOLUTIO: Juramenta per injuriam metu gravi & injusto extorta valida sunt, & obligant ex virtute religionis, ob reverentiam divini nominis & Numinis in testimonium promissionis factæ invocati! Est communis ex *C. de vero: de jure jurando: & C. ad Audientiam de hoc que vi:* Ubi datur Ratio: quia omne Juramentum voluntarium non vergens in interitum salutis, licite & honeste servabile, validum & licitum est: tale autem juramentum simpliciter est voluntarium, ex dictis: & quamvis consensus non esset sufficienter voluntarius in promissionem violentam ad inducendam obligationem justitiæ, suppe-

nitur tamen sufficienter voluntarius ad invocationem Divini Nominis ad inducendam obligatorem ex virtute religionis. Quod si ergo jurasti latroni dare pecuniam, usuram, &c. nec usus aliqua equivocatione v. g. dabo, si debeo, obligaris juramento. Cæterum ob injuriam tibi illatam poteris relaxationem petere: aut solutas pecunias in iudicio repetere. Imò cum *Azorio tom. 1. l. 11. c. 7. q. 2.* tali juramento vim & obligationem omnino denegare, quia juramentum sequitur promissionem principalem: quod si ergo hæc invalida sit, & sequens juramentum invalidum esse videtur.

CONFIDENTIA LIX.

De Sacramentis ex metu gravi collatis.

RESOLUTIO: Valida sunt omni jure etiam ex metu gravi ac injusto collata, & suscepta (non fictè) Sacramenta omnia, excepto matrimonio. Ita *Patrit. n. 59.*

Ratio est: Quia solum matrimonium essentialiter in contractu consistens requirit consensum promissorium ad inducendam obligationem justitiæ: reliqua verò sacramenta solum requirunt consensum voluntarium in opus præsens.

Undè validè baptizatur metu gravi & injusto impulsus: validè suscipit ordinem sacrum; at non obligabitur voto castitatis, vel debito horarum: valida etiam videtur extorta absolutio sacramentalis, ab excommunicatione, & interdicto jure naturæ; quæ tamen meritò invalidata est ab Ecclesia *c. un. de his, quæ vi. in 6.*

CONFÉRENTIA LX.

De concupiscentia appetitus sensitivi.

93. **C**oncupiscentia in proposito est passio appetitus sensitivi prosequens aliquod bonum delectabile; ut *amor, desiderium, spes, concupiscentia, gaudium*: aut contra fugientis malum oppositum; ut *odium, fuga, timor, desperatio, tristitia, ira, &c.* Jam alia est passio *antecedens*, quæ sola apprehensione objecti delectabilis, vel contrarii, absque ulla deliberatione intellectus, vel consensu voluntatis exurgit, vel durat in parte sensitiva: ac proinde secundum se nec meriti, nec demeriti seu peccati capax est. *Consequens* autem est passio, quæ deliberato arbitrio & consensu voluntatis, vel jam excitata admittitur, vel etiam in proposito excitatur, ut scilicet ad promptiorem seu intensiorem operationem deserviat. Revertendum ergo hic est, quomodo ejusmodi passiones se habeant ad voluntarium in actibus humanis. Sit itaque

94. **RESOLUTIO I.** Concupiscentia, quæ passio quæcunque, antecedens vel subsequens, non reddit actum involuntarium: pro hac sententia Patrit. n. 61. Divum Thom. 1. 2. q. 6. a 7. Summa in 4. Dist. 29.

Ratio igitur est manifesta: quia involuntarium est, quod fit à principio extrinseco, aut saltem contra inclinationem voluntatis, seu cum aliqua sui displicentia: sed quod fit ex passione concupiscentiæ, simpliciter fit à principio intrinseco, secundum inclinationem voluntatis naturaliter

potat̄ inclinatat̄ in appetibilia appetitus sensitivi, præsertim in iracundis & libidinosis: igitur, &c.

95. RESOLUTIO II. Concupiscentiæ Passio voluntarium imperfectum seu spontaneum potius auget. *idem qui sup.*

Ratio autem est: Quia illud, quod fit à principio intrinseco ex prævia cognitione, est voluntarium secundum omnes: & passio concupiscentiæ (puta voluptas, ira, &c.) trahit voluntatem à principio intrinsecum majori cum impetu ferri in objectum concupitum: igitur potius auget eam impedit voluntarium spontaneum. Unde est illud Jacobi: *unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.*

96. RESOLUTIO III. Concupiscentiæ passio voluntarium perfectum minuit, & quandoque omnino aufert: *idem qui sup.*

Ratio est: Quia liberum consistit in indifferentia voluntatis ad volendum objectum propositum ab intellectu cum hujusmodi indifferentia boni & mali: quod autem passiones concupiscentiæ impediunt intellectus deliberationem, ac faciunt, ut magis æstimet ac ponderet rationes ac motiva pro parte concupita; minus verò motiva in oppositum, fit ut voluntas minus liberè feratur in objectum propter passiones impediētes. Imò contingit passionem iræ intellectum perturbare, & sola objecti concupiti consideratione occupatum excæcare, ut non possit omnino deliberare vel etiam apprehendere rationes in oppositum, ut fit in furiosis; atque ita passio omnino aufert libertatem,

tem, & voluntatem perfectum. Et ideo communis jam est persuasio, quod qui minus liberè agit, minus delinquat circa objectum malum: & minus meritum habet circa objectum virtutis & bonum. **E**contrà passio consequens voluntariè excitata à voluntate auget voluntarium, & consequenter etiam peccatum. Undè *D. Thom. 1. 2. q. 77. a. 4.* dicit: *Signum est magnitudinis ejus (peccati) quia demonstrat intensiorem voluntatis ad actum peccati: quo sensu verum est, quod quanto quis majori libidine, vel concupiscentia peccat, tanto gravius peccat.*

CONFERENTIA LXI.

Quid sit bonitas & malitia moralis actus humani?

74. RESOLUTIO: *Bonitas moralis actus humani est rectitudo actus secundum rectam rationem, vel legem. Econtrà malitia moralis est privatio hujusmodi rectitudinis secundum rationem, vel legem, quæ aliàs deberet inesse actui. Ita D. Thom. 1. 2. q. 8. a. 1.* ubi hæc habet: *Omnis actio, in quantum habet aliquid de esse, in tantum habet de bonitate: in quantum verò deficit ei aliquid de plenitudine essendi, quæ debetur actioni humanae, in tantum deficit à bonitate, & sic dicitur mala. Quæ autem sit illa plenitudo, quæ debetur actioni humane, ait Scot. 3. d. 36. q. un. bonitas actus moralis est quasi quidam decor illius includens debitam proportionem ad omnia, ad quæ debet actus proportionari; utpotè ad potentiam, ad objectum, ad finem, ad tempus, ad locum, ad modum, &c. Pro horum meliori intelligentia*

Explic.

Explicatur definitio bonitatis & malitiæ moralis actus humani: dicitur itaque I. Est *rectitudo actus*: id est, perfectio seu integritas actus conformata & quasi commensurata suæ regulæ, secundum quam ipsi nihil deest eorum, quæ, in quantum humanus & liber est, habere debet: sicut e contra *malitia moralis* opposita consistit in defectu seu privatione ejusmodi perfectionis & integritatis: quâ nimirum actui vel potentiæ aliquid deest eorum, quæ secundum rectam rationem habere deberet. Dicitur II. *Secundum rectam rationem*: sive dictamen rectæ rationis practicæ: ideò enim actus formaliter bonus est, v. g. dare Eleëmofynam: aut malus, v. g. furari; quia conformis est, aut difformis dictamini rectæ rationis, quod nimirum: ita operari conveniat, vel disconveniat, deceat, vel dedeceat naturam rationalem. Dicitur III. *Vel legem*. Actus enim moralis bonus vel malus dicitur, quatenus fit à principio regulabili per regulas rectæ rationis, alioquin defectibili: atque experientiâ notissimum est, non solum voluntatem humanam esse defectibilem in operando, seu eligendo bonum præ malo, honestum præ inhonesto; sed etiam ipsum intellectum in dijudicando bono & malo, honesto & inhonesto, decente vel dedecente naturam rationalem: & ideò positæ sunt leges extrinsecæ, velut Regulæ, quæ regularent ac dirigerent simul & intellectum ad rectè judicandum, & voluntatem ad rectè operandum, utpote conformiter ad naturam rationalem, & legem præscriptam.

98. Similiter in definitione *malitiæ moralis*, dicitur

citur I. *Privatio rectitudinis* : intellige , secundum
rectam rationem vel legem. II. *Rectitudinis debere*
inesse , non enim privatio cujusvis rectitudinis po-
 tentis inesse actui est malitia moralis seu peccatum
 sed illius tantum rectitudinis , quæ secundum rec-
 tam rationem , vel legem deberet inesse. III. *Actui*
vel potentia. Ut nim : comprehendatur om-
 nis malitia peccati , non tantum commissionis , ubi
 rectitudo deberet inesse actui ; sed etiam ommissio-
 nis , ubi rectitudo deberet inesse potentia obligata
 ad actum non omittendum.

CONFERENTIA LXII.

Unde actus humanus sumat suam bonita-
 tatem & malitiam ?

99. **R**ESOLUTIO generalis : Actus humanus
 sumit suam bonitatem & malitiam extrin-
 secè & causaliter ab objecto , fine , & circumstan-
 tiis ; atque *ut bonus moraliter sit* , omnia hæc con-
 currentia bona cognita sint , est necesse : *si vero*
malus moraliter sit , sufficit unum aliquid horum
 malum cognitum esse. Ita D. Dionysius *lib. de di-*
vin. nominibus c. 4. Bonum est *ex integra causa* , ma-
 lum verò *ex defectu cujuslibet.* Et patet ex Scoto
 a. 40. q. 1. ubi dicit : *bonitatem moralem actus hu-*
mani esse aggregationem omnium convenientium actui
secundum rectam rationem : Consequenter su-
 mit bonitatem ab objecto , fine & circumstantiis
 cognitis ; quæ quia multæ sunt , oportet sigillatim
 de singulis aliquid proponere , sit itaque

CONFERENCE LXIII.

Quæ sit bonitas & malitia moralis ex
objecto?

100. **R**ESOLUTIO : Actus humanus accipit
suam bonitatem aut malitiam essentialem
ac specificam ab objecto bono vel malo cognitò ;
bonitate quidem directè, malitia verò indirectè vo-
lità ac intentà. Comm. cum D. Thom. 1.2 q. 18. a.
2. & Scot. quodlib. 18. a. 2.

Explicatur : dicitur I. *Bonitatem aut malitiam
essentialem.* Quia sicut omnis actus in naturalibus
accipit primariò suam essentialem & specificatio-
nem ab objecto, in quod tendit ; ita etiam
omnis actus humanus & moralis in esse mo-
rali, seu quatenus conformis vel difformis est
rectæ rationi, hanc suam moralem essentialem ac
specificam bonitatem aut malitiam primariò sumere de-
bet ab ipso objecto, quod in se bonum aut malum,
conforme vel difforme est rectæ rationi : adeò, ut
si objectum bonum (utpote Eleemosyna) sit cer-
ta quadam habitudine conformitatis ad rectam ra-
tionem vel legem, etiam actus circa illud objec-
tum moraliter bonus erit, in certa quadam specie
virtutis, puta dare Eleemosynam, in specie mise-
ricordiæ. Econtrà si objectum malum sit certa
quadam dissonantiâ ad rectam rationem vel le-
gem, etiam actus circa tale objectum malus erit in
tali specie : ut furtum in specie injustitiæ. Unde
actus humani alii dicuntur *boni vel mali intrinsecè
& ex objecto* ; ut amare Deum & proximum : quia

H 5

ex

ex natura & objecto suo naturalem conformitatem habent ad rectam rationem, seclusa etiam omni lege, Et licet etiam legibus præcipiantur, non tamen ideò boni sunt, quia præcipiuntur; sed ideò præcipiuntur, quia boni sunt. Econtrà odium Dei vel proximi sunt *actus intrinsecè mali & ex objecto*; quia ex natura & objecto suo habent naturalem deformitatem adversus rectam rationem, seclusa etiam omni alia lege. Et licet etiam legibus prohibeantur, non ideò tamen mali sunt, quia prohibiti, sed ideò prohibiti, quia mali sunt. Alii *actus dicuntur boni vel mali ex obligatione legistarum*, & sumunt suam bonitatem vel malitiam ex objecto per accidens, seu ratione legis per accidens supervenientis tali materiæ; ideoque præcisè boni sunt, quia præcipiuntur: aut mali, quia prohibentur: v.g. die jejunii abstinere à carnibus est bonum, & comedere carnes est malum. Unde fit, quòd *actus per se & ex objecto mali (cæteris paribus) semper graviora peccata sint, quàm actus mali ex sola prohibitione legis.* Ita P. Marchant. *Tribun. p. 1. Tract. 3. tit. 3. q. 2.*

101. Dicitur II. *Ab objecto bono vel malo cognito, cum nihil possit fieri volitum, nisi præcognitum.* Verum quoad volitum bonum, & malum hoc est discrimen. Ad hoc enim, ut actus sumat bonitatem ab objecto bono & honesto cognito, debet objecto esse volitum, ut bonum & honestum, non autem ut utile vel delectabile; aliàs eo ipso deperderet actus bonitatem. At contrà, ad hoc ut actus sit malus ex objecto, non est necesse, ut tendat in objectum ut malum vel inhonestum; sed

suffici

sufficit velle objectum, quod de facto proponitur malum, inhonestum vel turpe, tametsi voluntas præscindat excludat, imò nolit ipsam malitiam vel turpitudinem: quia eò ipso, quo voluntas vult actum circa objectum delectabile vel utile, convincitur etiam velle malitiam & turpitudinem peccati annexam. Ratio utriusque partis est, quia bonum est ex integra causa, malum autem ex quolibet defectu.

CONFERENCE LXIV.

De bonitate & malitia morali ex fine.

102. **F**inis est id, cuius gratiâ aliquid fit: alius finis operis sive intrinsecus, ad quem ipsum opus vel actus ex natura sua ordinatur; ut dare eleëmofynam pauperi, miserix corporalis sublevandæ gratiâ: furari habendi gratia, &c. Alius est finis operantis & extrinsecus, quem operans pro arbitrio operi præstituit; ut dare eleëmofynam propter vanam gloriam, studere ob honores consequendo.

RESOLUTIO: Actus humanus sumit suam bonitatem & malitiam, internus quidem primariam & specificam: externus verò secundariam & accidentalem tantum à fine propter quem fit: Ita communissima.

Ratio est: quia universaliter omnis actus accipit suam specificationem, non tam ab objecto materiali, in quod tendit, quàm potius ab objecto formali seu motivo, sub quo tendit in objectum materiale: atqui finis intentus est verissimè objectum, & motivum formale, secundum quod & propter quod

quod

quod voluntas actu interno vult per actum externum tendere in tale objectum: ergo actus humanus internus sumit primariam & specificam suam bonitatem & malitiam à fine, in quem tendit. Unde Aristoteles 5. *Ethic n. 2.* ait: eum, qui furatur adulterandi gratia, magis adulterum esse, quam furem: quia ergo actui interno per se primario competit intendere finem, & propter finem agere eligendo media, & imperando actus externos in ordine ad talem finem; actibus vero externis merè per accidens est, quod ita eligantur & ordinentur ad talem finem; sequitur necessario, finem actui interno tantum tribuere bonitatem vel malitiam primariam specificam: actibus vero externis imperatis solum secundariam & accidentalem, tantquam meram circumstantiam.

CONFIDENTIA LXV.

An sit universaliter verum, cujus finis malus est, ipsum quoque malum est: & e contra: cujus finis bonus, ipsum quoque bonum est?

103. **R**ESOLUTIO: Universaliter verum est, cujus finis malus, ipsum quoque malum est: at non e contra, cujus finis bonus est, ipsum quoque bonum est.

Ratio est; quia finis bonus non reddit actum bonum, nisi careat omni malitia ex objecto & aliis circumstantiis: quia *bonum oportet esse ex integra causa.* Finis autem malus semper reddit actum malum, etsi aliàs ex objecto, & omnibus aliis circum-

cumstantiis sit optimum? quia malum ex quolibet defectu.

Hinc sequitur I. Finis bonus, actui ex se bono vel indifferenti, tribuit bonitatem. II. Nullus finis bonus actum de se malum, bonum facit. III. Omnis finis malus, malum facit actum ad se ordinatum. IV. Actus bonus propter finem bonum accipit à fine tot species bonitatis, quot ei diversi fines boni præfiguntur: v. g. dare Eleëmofynam pauperi ob honorem Dei, ad satisfaciendum pro peccatis: ex objecto habet bonitatem Eleëmofynæ seu misericordiæ: ex fine autem duplici, aliam duplicem habet bonitatem; scilicet virtutis religionis & penitentiae. Item qui vult temperantiam ad conservandam castitatem, habet utriusque virtutis bonitatem; utpote temperantiæ & castitatis &c. V. Actus malus propter finem malum, duplicem accipit malitiam, unam ab objecto seu medio malo electo: aliam à fine malo præfixo; imò tot malitias, quot fines mali diversi præfiguntur: easque aliquando specie diversas, utpote diversis virtutibus repugnantes; ut si velis furari adulterandi gratiâ: occidere alterum, ut bona ejus auferas: uxore ejus potiaris, &c. VI. Actus bonus propter finem malum, destructa bonitate ex objecto, simpliciter redditur malus ex fine: v. g. Vis dare Eleëmofynam ad captandam vanam gloriam: aut pauperi puellæ ad finem inhonestum. VII. Actus malus propter finem bonum, est, & manet malus; ut si fureris in ordine ad dandam eleëmofynam. Eccl. 34. *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata.* Item vis sanitatem per medicamen superstitiosum. VIII. Actus

Actus

Actus indifferens propter finem bonum, bonitatem suam unicam habet ex fine bono: v. g. ambulare peregrinationis causâ: comedere, bibere, dormire ad reficiendas vires ad serviendum Deo. Porro potest etiam fieri *actus bonus ad finem indifferens*: v. g. Eleëmofyna vel oratio pro impetranda sanitate. IX. *Actus indifferens propter finem malum*, habet etiam unicam malitiam ex fine: v. g. ambulare, loqui luxuriæ causâ. X. *Actus indifferens propter finem indifferentem*; ut ambulare, comedere, bibere, fricare barbam, &c. solius refectionis vel recreationis gratiâ, in specie omninò manet indifferens.

CONFERENTIA LXVI.

De bonitate & malitia morali ex circumstantiis.

104. **C**ircumstantiæ dicuntur actuum humanorum ac moralium accidentales quædam affectiones; sic vocatæ, quod actum humanum operantem, & objectum quasi circumstant. E. g. De substantia Eleëmofynæ sunt tantum homo datus, egenus accipiens & ipsa traditio pecuniæ, panis, &c. Jam verò tam ipsum actum, quam operantem, & objectum variæ circumstantiæ possunt afficere; & magis vel minus bonum, vel etiam malum efficere. Utpotè *quis dat*; Dives an pauper. *Quid dat*? multum an parum? suum an alienum? *Cur dat*? an ad bonum vel ad malum finem? *Quomodo dat*? an magno vel parvo affectu? an cum indignatione, exprobratione, &c.

Similiter in furto de substantia actus sunt homo accipiens res alienas, & ejus ablatio invito Domino. Hunc autem actum, operantem, & ipsum etiam objectum variæ circumstantiæ afficere possunt: ac furtum reddere magis vel minus malum, sacrilegium vel prophanum, in loco sacro vel profano, in necessitate, an tempore belli, &c.

RESOLUTIO: Actus humanus, sumit suam bonitatem & malitiam etiam à circumstantiis cognitis, & aliquo modo volitis; semper quidem accidentalem actui: sed aliquando aggravantem tantum; aliquando verò etiam speciem mutantem. Est communis doctrina.

Explicatur tamen: dicitur itaque *I. Actus humanus sumit suam bonitatem & malitiam etiam à circumstantiis cognitis & aliquo modo volitis, &c.* Ratio est: quia actus humanus (externus) efficax, in individuo tendit in objectum prout cognoscitur esse à parte rei affectum suis circumstantiis; ac proinde voluntariè eliciens talem actum in his circumstantiis, censetur etiam indirectè saltem velle omnes ejus circumstantias cognititas, & per se conjunctas actui, operanti, vel objecto: atqui constat illas circumstantias esse aliquando bonas & honestas; aliquandò verò malas & prohibitas ad talem actum (sic circumstantia loci sacri est optima ad orationem, pessima autem ad furtum) adeoque actum voluntariè ad se tendentem, aliqua bonitate vel malitia efficient: consequenter actus humanus sumit suam bonitatem & malitiam etiam à circumstantiis cognitis & aliquo modo volitis. Cæterum notandum hic discrimen esse quo
ad

ad bonitatem & malitiam: Nam ad hoc ut actus sumat bonitatem à circumstantia bona; v. g. ut orans in loco sacro, aut dans eleemosynam personæ sacræ vel religiosæ, addat actui novam bonitatem religionis ex circumstantia loci sacri, vel personæ sacræ, necesse est; ut ipsa circumstantia bona cognita, per se directè volita ac intenta sit. Alioquin fit quamvis cognita, tamen nullo modo attendenda, nullam poterit conferre bonitatem. At verò e contra, ut actus sumat malitiam ex circumstantia mala, per se tamen conjuncta actui vel naturaliter consequente, sufficit illam esse cognitam; nec oportet esse per se & directè ullo modo volitam vel intentam e. g. Furans scienter rem sacræ, aut violans personam sacræ, contrahit malitiam sacrilegii ex circumstantia, vel personæ sacræ, licet illam circumstantiam minimè velit, vel si etiam nollit esse sacræ.

Dicitur II. *semper quidem accidentalem actui, aliquando tamen aggravantem tantum, seu intra eandem speciem majorem vel minorem: aliquando vero speciem mutantem; seu diversæ speciei à bonitate vel malitia substantiali actus.* Unde circumstantiæ aliæ dicuntur *aggravantes tantum*, aliæ verò *speciem mutantem*.

Circumstantiæ aggravantes tantum sunt, quæ solum augent, vel minuunt bonitatem vel malitiam actus intra eandem speciem virtutis vel peccati, v. g. furari 100. vel 1000. indignatio aut ira vehementis vel remissa. *Circumstantiæ speciem mutantem* dicuntur, quæ actui novam ac diversam speciem bonitatis vel malitiæ afferunt. Sic v. g. Circumstantiæ

stantia personæ pauperis sacræ intenta, actui elemosynæ addit bonitatem virtutis religionis, actui verò fornicationis addit malitiam sacrilegii: Tristissimum est exemplum in actu carnali: si enim hoc peccatum fiat inter solutos, est simplex fornicatio: si à, vel cum ligata, est adulterium: si à vel cum persona Deo sacra, est sacrilegium: si inter consanguineos vel affines, est incestus: si cum vi illata est raptus: si contra naturam cum se ipso, est molities: si cum eodem sexu, est sodomia: si cum diversa specie, est bestialitas. Hæ enim circumstantiæ omnes diversas planè malitias adferunt actui luxuriæ, contra diversas omninò virtutes, ac diversa præcepta sub motivo diversarum virtutum obligantia, ut patet.

CONFERENTIA LXVII.

Circumstantiæ sigillatim explicatæ.

105. **Q**UIS, significat non ipsam personam operantem secundum se: hæc enim est de substantia, & non circumstantia actus: sed conditionem seu qualitatem personæ operantis; an scilicet sit soluta vel ligata: Clericus, an Laicus, &c. Atque hæc circumstantia sæpissimè mutat speciem, & novam malitiæ speciem confert in peccatis: ut v. g. si persona ligata peccet carnaliter, jam non solum peccat contra castitatem, sed etiam contra justitiam: si sacra voto solenni castitatis adstricta, peccat insuper contra Religionem sacrilegio, &c. si Prælatus vel Parochus suis opem debitam ferre negligat, peccat non tantum contra charitatem vel misericordiam, sed etiam contra justitiam.

Pars II.

I

titiam.

titiam. Si filius Parenti, subditus Principi, Praelato, Magistratui injuriam inferat, peccat non solum contra justitiam, sed etiam contra virtutem pietatis & observantiae: & sic de cæteris. Interdum verò intra eandem speciem solum auget & aggravat malitiam. Sic, cæteris, paribus, gravius est peccatum fidelis, quàm infidelis: Clerici vel Religiosi quàm Laici: Superioris quàm subditi: item ejus, qui multa à Deo singularia beneficia accepit, sæpius veniam peccatorum consecutus est, & relabitur, ob annexam ingratitude. Item gravius est furtum, si dives furetur, quàm si pauper indigus, &c.

106 QUID similiter non ipsum objectum actus, utpotè spectans ad substantiam, sed conditionem vel quantitatem objecti vel. materiæ significat, circa quam actio bona vel mala versatur. Hæc circumstantia actui sæpè novam confert speciem malitiæ: ut luxuriæ cum aliena conjuge speciem injustitiæ: furto rei sacræ speciem sacrilegii: occisio Patris, speciem Parricidii seu impietatis. Aliquando verò intra eandem speciem actionis malitiam auget; ut si injuriam inferas homini innocenti: pauperi fureris, &c.

107. UBI, indicat qualitatem loci sacri, prophani, publici, privati, &c. tribuitque subinde actui novam malitiæ speciem; ut si in Ecclesia fiat humani sanguinis effusio malitiosa, aut etiam seminis per pollutionem voluntariam, coitum carnalem, etiam mariti cum uxore, nisi gravis necessitas excuset à sacrilegio: idem committitur per furtum in loco sacro (sive si rei sacræ, sive non sacræ) &c.

c. quasivit. 7. q. 9. sacrilegium committitur auferendo sacrum de non sacro: aut non sacrum de sacro. Extra hos casus vix ulla alia peccata v. g. detractiones, turpiloquia, aspectus lascivi, vel etiam oscula, censenda sunt contrahere malitiam sacrilegii mortalis contra Religionem & Reverentiam loci sacri. Quoad locum prophanum, si peccata fiant coram multis, ordinariè habent annexam malitiam scandalii contra charitatem, ideoque necessariò explicanda in confessione.

108. **QUIBUS AUXILIIS** : indicat media, causas & occasiones peccandi; ut sunt instrumenta peccandi, quæ aliquando etiam addunt novam speciem malitiæ; ut si quis pecuniã furtivã fornicetur: si medio magico damna intulisti: si lusu prohibito alterum decepisti, &c.

109. **CUR** : significat finem bonum vel malum, de quo satis sup.

110. **QUOMODO** : indicat modum actionis magis ac minus voluntarium, intensum, remissum, violentum, moderatum, &c. Hæc circumstantia plerumque & bonitatem in actibus bonis, amoris, doloris, &c. & malitiam in peccatis solum intra eandem speciem auget. Sic v. g. gravius peccatur ex certa, deliberata ac libera malitia vincibili: item si majori intensione, vehementia indulgeas odio, iræ: si longiori mora peccatis inhæreas, &c.

111. **QUANDO**, significat propriè qualitatem temporis sacri, vel non sacri. Et hæc circumstantia confert actui bonitatem vel malitiam solum per accidens; quando nimirum actus specialiter

est præceptus vel prohibitus ratione temporis facti, v. g. diebus festis feriari: diebus jejunii abstinere à carnibus, bonum est ex lege præcipiente; sicut econtra hujusmodi diebus laborare, aut carnes comedere, similiter malum est ex lege eo tempore prohibente. Unde si in die festo, tempore Adventus, aut quadragesimæ ex speciali devotione exerceas bona opera, intuitu sacri temporis, ac mysteriorum eo tempore in Ecclesia celebratorum, facis specialem actum Religionis. Aut econtra si die, vel tempore sacro committas peccatum aliquod directa intentione inhonorandi sacrum tempus, aut in contemptum sacri temporis, sine dubio peccas mortaliter peccato speciali contra Religionem, atque in confessione necessario aperiendo. At verò secluso omni præcepto vel contemptu, circumstantia temporis sacri non multum confert ad malitiam peccati: an scilicet in festo vel profesto peccaveris carnaliter secundum communem DD. sententiam. Nec est paritas inter tempus & locum sacrum; quia locus tanquam res permanens consecrationis, moralisque sanctitatis capax est; cui proinde mali operis exercitium secundum rectam rationem repugnat: at verò tempus res continuo transiens non ita capax est consecrationis aut moralis sanctitatis; sed dicitur solummodo sacrum vel sanctum per accidens ratione sacrorum mysteriorum, quæ eo tempore recoli vel fieri solent. Atque hæc de circumstantiis actuum humanorum sufficiant; quæ sequuntur sunt longè majoris dignitatis & excellentiæ, proinde memoriæ insculpenda.

CONFERENCE LXVIII.

An detur actus humanus indifferens in individuo?

112. **I**N specie dari tales actus humanos indifferentes, qui scilicet ex objecto nec boni, nec mali sunt, conveniunt *D. Thom. 1. 2. q. 18. a. 8. & Scot. in 2. d. 41. q. un.* adeoque est certum apud omnes. Et ratio est manifesta: quia deliberate loqui, ambulare, comedere, bibere, &c. sunt verus actus humani; & tamen ex specie seu objecto (secluso omni fine, aliisque circumstantiis) nec precepti, nec prohibiti; adeoque nec boni nec mali moraliter, cum nullam dicant specialem conformitatem aut difformitatem ad rectam rationem vel legem, & possunt fieri boni ac mali: ergo sunt actus humani indifferentes in specie & ex objecto. Ceterum an possint etiam esse indifferentes in individuo, seu hic & nunc exerciti, ita, ut ex natura sua non exigant aliquam peculiarem honestatem, vel conformitatem ad rectam rationem, qua fiant moraliter boni: de his sit.

RESOLUTIO: admittendus est actus indifferens etiam in individuo. Ita probabilius docent. *D. Bonav. in 2. d. 41. a. 1. q. 3. Scot. ibid. & quodlib. 18. a. 1. cum suis omnibus, & aliis quam plurimis.*

Probatur I. auct. *D. Hieron. Epist. 2. ad Augustin.* his verbis: *sunt namque indifferentia inter bonum & malum, sicut Philosophi disputant. Est enim bonum continentia; malum luxuria: & inter utrumque indifferens ambulare, digerere alvi stercorea, capitis purgamenta*

gamenta manibus projicere hoc neque bonum, neque malum est. Sive enim feceris, sive non feceris, neque justitiam habebis, neque injustitiam.

Dices fortè sanctum loqui de indifferentia actus quoad speciem. Sed econtra est; quia expressè addit, *sive feceris, sive non feceris, &c.* ergò loquitur de actu in individuo.

Probatur II. Ratione: Quia hic & nunc deliberate fricare barbam præcisè ad sedandum pruritus, est actus humanus in individuo: sed non est bonus moraliter; quia nullam dicit peculiarem conformitatem ad rectam rationem neque ex objecto, neque ex fine, aut alia circumstantia: alioquin in homine existente in gratia posset esse meritorius vitæ æternæ: imò etiam materia voti; quia esset melius fricare, quàm non fricare, quæ inconvenientia sunt. Neque est malus moraliter, cum nullam habeat peculiarem difformitatem ad rectam rationem vel legem: ergò est actus indifferentis in individuo.

Respondent tenentes contrariam sententiam I. talem actum esse otiosum, pro quo debet in judicio reddi ratio: sed *contra* est, quia habet congruum finem, etsi indifferentem, nimirum sedandi pruritus. Alioquin certè posset esse sufficiens materia absolutionis sacramentalis: quis autem unquam, quantumvis delicatissimæ conscientie, confitetur se fricasse barbam ad sedandum pruritus? aut quis confessarius sanæ mentis hujusmodi confitentem absolveret?

Respondent II. Tenemur omnes actus nostros

ex objecto non malos referre ad finem bonum ac honestum. *Contra*: ubi est tale præceptum?

Respondent III. 1. Cor. 10. *sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Sed iterum *contra*: Quia Patres & interpretes hic non agnoscunt præceptum, consilium tantum: itaque manet adhuc probatum, dari actum humanum indifferentem in individuo.

CONFERENTIA LXIX.

Quomodo se habeat actus humanus exter-
nus ad internum, quoad bonitatem & mali-
tiam moralem?

113. Sensus quæstionis est, an actus externus, v. g. fornicationis, adulterii, vel occisionis, superaddat actui interno seu intentioni efficaci fornicandi, adulterandi, occidendi, distinctam malitiam in ordine ad pœnam: idem est de actu bono externo superaddito actui bono efficaci interno, in ordine ad novam bonitatem, & præmium essenziale? pro quo sunt duæ sententiæ oppositæ: una negativa D. Thomæ cum suis, & recentioribus communiter. Probatur auct. SS. PP. Aug. l. 1. de lib. arb. c. 3. *si quis habet voluntatem concubandi cum uxore aliena, & non datur facultas, coram Deo tam reus est, atque si opere complisset.* Chrysostr. hom. 2. 6. in Matth. *sola voluntas remuneratur pro bono.* Bernard. Epist. 77. ad Hugon. Vict. *voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit necessitas.* Fundamentum sat solidum est: quia sicut tota libertas ac moralitas, ita sanè tota bonitas & malitia moralis actui externo præcisè communicatur ab actu

interno: ergò actus externus nullam potest addere actui interno distinctam bonitatem vel malitiam moralem.

Alteram affirmativam ut probabiliorem docet Scot. in 2. d. 42. q. 4. & quodl. 18. a. 3. cum suis omnibus. Alensis. p. 4. q. 77. memb. 3. a. 5. cum aliis. Favet etiam S. Aug. l. 13. de trin. c. 5. dicens: *mala voluntate sola quilibet miser efficitur: sed miserius potestare, quàm desiderium malæ voluntatis impletur: perfectè quamvis, & sic malè volendo miser esset, minus tamen esset, si nihil eorum, quæ perperam voluisset, habere potuisset: ubi manifestè ceteret actum externum superaddere actui interno aliquam malitiam, quàm scilicet miserius fiat, qui malum desiderium implet, quàm qui implere nequit.* Et. tritum est illud *Glos. in c. 20. Exodi. non machaberis. Qui ergo opus adjicit voluntati, iniquitatem addit iniquitati.*

Fundamentum oppositum est; quia licet bonitas & malitia moralis externi actus tota dependet ab actu interno, reverà tamen in actu externo distincta est à bonitate ac malitia actus interni: non enim solum efficaciter velle; sed etiam ipso facto v. g. orare, eleemosynam dare, martyrium subire, &c. bonum est, & conforme rectæ rationi; nec solum efficaciter velle; sed etiam actu furari, occidere, mœchari, &c. malum est, & difforme rectæ rationi, ac legi divinæ: cum ergo actui interno accedit actus externus, accedit etiam aliqua conformitas vel difformitas ad rectam rationem vel legem; & consequenter aliqua distincta bonitas vel malitia moralis ac voluntaria, etsi omni-

nō dependens ab actu interno. His præmissis sit.

114. RESOLUTIO : Probabilior utique est sententia Scoti affirmativa, actum externum adde- re actui interno novam bonitatem vel malitiam. Patet præter solidas probationes posterioris opi- nionis jam datas ex eo; quia à ratione absolum videtur, non plus mereri apud Deum illum, qui ipsum bonum opus exequitur, v. g. martyrium ipso facto perfert, quàm illum, qui martyrium so- lavoluntate efficaci desiderat. Confirmatur: se- cundum omnes actus externus martyri meretur apud Deum præmium accidentale Laureolæ, quod non potest mereri solus actus internus quantum- vis efficax: sed nullum omnino præmium da- tur à Deo, nisi ratione alicujus bonitatis: er- go, &c.

Similiter à ratione alienum videtur tantundem poenæ demereri in foro Dei illum, qui solum ef- ficaciter proposuit homicidium, adulterium aut furtum, ac illum, qui tale crimen actu perpetra- vit: & quod huic (secluso omni damno) non sit injungenda major poenitentia in confessione, quàm illi.

Sed quid dicendum ad Patres in oppositum re- latorum? R. Patres loqui de merito & peccato: præ- mio & poena absolutè sumptis; non autem com- parativè quoad quantitatem; ut sensus sit, homi- nem solo actu interno efficaci, cum non potest exire in actum externum, nihilominus mereri præ- mium ac poenam æternam, ac si ipso opere com- pleret: non autem volunt, quòd tantundem præ-

mii vel poenæ mereatur: ad exemplum illius D. Jacobi 2. *Quicumque totam legem implevit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Intelligitur nimirum quoad substantiam reatus & poenæ; non autem quoad quantitatem.

CONFIDENTIA LXX.

Quinam actus humani cadant sub lege, vel præcepto humano?

115. **R**ESOLUTIO I. Nullus actus merè internus, per se directè præcipi vel prohiberi potest lege vel præcepto humano. Ita cum D. Thom. 1. 2. q. 91. a. 4. Navar. c. 13. n. 38. Sum. l. 4. de legibus c. 12. Taner. Laym. & alii innumerati apud ipsos.

Ratio autem est: quia humana potestate, lege aut præcepto illud tantum potest præcipi vel prohiberi directè de quo homo virtute humana potest cognoscere, judicare, & transgressores punire (alioquin frustra ferretur lex, vel præceptum communitati, si cognosci non posset, an servetur) atque de actibus merè internis, utpotè suapte naturâ insensibilibus, nullus homo humana virtute cognoscere vel judicare potest; juxta illud 1. Reg. 16. *Homines vident ea, quæ patent, Deus autem intuetur cor.* Ergò tantum actus externi per se directè præcipi vel prohiberi possunt, minime verò actus interni; ut puta cogitationes, proposita, volitiones, &c.

Petes: quomodo ergò Prælati Regulares præcipiant orationes mentales statis horis peragendas: Examina conscientiæ, &c. R. hæc ideò fieri, quia Reli-

Religiosus principaliter Deo vovit, obedire suo praelato in omnibus, quæ secundum Regulam & ordinis consuetudinem præcipiuntur; quæque ad puram Regulæ & status sui observantiam conducunt, inter quæ præcipua sunt orationes mentales, examina conscientiæ, &c.

116. RESOLUTIO II. Humana lege vel præcepto possunt etiam præcipi vel prohiberi actus interni indirectè; quatenus scilicet requiruntur ad actuum externorum directè præceptorum vel prohibitorum moralem substantiam. Ita communior, & sine dubio verior sententia Theologorum.

Probat I. Quia omnis lex præcipiens, vel prohibens aliquem actum, necessariò (indirectè saltem) etiam præcipit vel prohibet omnia necessaria requisita ad moralem substantiam illius actus: sed omnis humana lex vel præceptum necessariò solum præcipit aut prohibet actus humanos voluntarios ac liberos, ad quorum moralem substantiam necessariò requiruntur actus interni voluntatis, seu voluntas & propositum talem actum externum faciendi, vel omittendi; qui scilicet actus interni sunt forma essentialis actuum humanorum externorum, humani ac liberi sunt: ergò præcipiens vel prohibens actus humanos externos, etiam indirectè præcipit, vel prohibet illum actum internum, seu voluntatis propositum talem actum externum faciendi, vel omittendi e.g. Ecclesia præcipiens die festo audiendum sacrum, consequenter indirectè etiam præcipit propositum audiendi sacrum; adeò ut qui deliberatè nollet audi-

audi-

audire, seu haberet propositum non audiendi sacrum, revera peccaret mortaliter contra legem Ecclesiæ. Similiter Ecclesia prohibens die veneris comedere carnes, etiam indirectè prohibet propositum edendi carnes; adeo ut qui die veneris efficaciter vellet, vel proponeret comedere carnes, revera peccaret legem contra Ecclesiæ. Unde *c. nulli. d. 19.* dicitur: *Nulli fas est velle, vel posse transgredi Apostolica sedis præcepta.* Ubi advertite pro his & sequentibus: quantum ad praxin in ordine ad forum conscientiæ, omnino perinde esse, sive dicatur actus illos internos præcipi vel prohiberi indirectè à lege humana, an verò posita lege humana, à lege divina naturali: quia sufficit occasione legis humanæ etiam interno actu peccari mortaliter.

Probatur II. Humana lex vel præceptum præcipiens actus humanos externos, indirectè quoque præcipit illos actus internos, qui ad moralem substantiam actuum externorum necessariò concurrunt; cujusmodi sunt peculiare intentiones actuum. Exempla sunt in *Contractibus*: Potestas Ecclesiastica vel civilis justè præcipiens aliquem contractum, v. g. ut qui virginem defloravit, eam aut ducat, aut dotet, &c. consequenter indirectè etiam præcipit actum seu consensum internum, sive intentionem sese obligandi necessariò requisitam ad substantiam moralem talis contractus in specie. Quis enim neget Ecclesiam vel Rempublicam posse præcipere suis subditis, ut verè, & non fictè seu fraudulenter contrahant? cum ad utramque gubernationem ac commune bonum maximè pertineat.

ut con
adeo
ne rec
in adm
ge vel
ministr
eo ipso
bere in
crandi,
ca sub
mentur
ceptione
fidelibu
etiam i
& prop
Den
domin
canoni
vam co

An r
117. S
horis c
volunt
attenti
sum, v
Deus c
Sup
cipiens

ut contractus veri & non ficti vel fraudulentum fiant; adeoque cum vero interno consensu ac intentione requisita ad substantiam contractus. Deinde in *administratione Sacramentorum*. Quicumque lege vel præcepto superioris jubetur sacramentum ministrare, baptizare, absolvere, celebrare, &c. eo ipso indirectè jubetur, & sine dubio tenetur habere intentionem baptizandi, absolvendi, consecrandi, &c. quia ejusmodi intentio est de intrinseca substantia operis præcepti, sine qua non sacramentum, sed sacrilegium fieret. Uterius in *suspensione sacramenti*. Lex Ecclesiastica præcipiens fidelibus annuam confessionem, consequenter etiam indirectè præcipit actum internum doloris & propositi, emendationis, &c.

Denique in *oratione & cultu divino*. Utpote Missa dominicis & festis diebus devotè audienda, horis canonicis recitandis, &c. quæ certè merentur novam conferentiam; proinde fit

CONFERENTIA LXXI.

An requiratur attentio mentis in horis canonicis recitandis.

117. **S**ensus quæstionis est, utrum ad satisfaciendum præcepto Ecclesiastico de recitandis horis canonicis, requiratur non tantum intentio voluntatis interna ad colendum Deum, sed etiam attentio intellectus ad verba recitanda, vel ad sensum, vel ad mysteria, vel saltem ad finem, qui est Deus colendus? circa quod

Supponitur ut certissimum, quod Ecclesia præcipiens clericis recitationem horarum canonicarum,

rum,

rum, præcipiat veram orationem, verum cultum
 divinum, & verum actum religionis, quo Deus
 T. O. M. verè colatur; quia Ecclesia illo præcep-
 to per se & principaliter intendit satisfacere dupli-
 ci suæ obligationi. I. *Obligationi generali Religio-
 nis*, scilicet colendi Deum nomine totius populi
 Christiani. II. *Obligationi speciali justitia*, seu in-
 tentioni fundatorum: atqui Ecclesia sine dubio
 tenetur colere Deum vero cultu Religionis tum ex-
 terno, tum interno; cui proinde obligationi inten-
 dit satisfacere deputando certos ministros, qui ip-
 sius, & totius populi Christiani nomine, per officia
 à se instituta, statis temporibus Deum colant: at-
 que intentio fundatorum Ecclesiarum, ac benefi-
 ciorum sine dubio fuit, ut Deus vero cultu Religio-
 nis: vera oratione & laude divina colatur: cui
 obligationi Ecclesia absolutè tenetur, & suo præ-
 cepto intendit satisfacere per horas canonicas ritè
 à suis ministris persolvendas: consequenter Ec-
 clesia præcipit veram orationem, seu verum cul-
 tum divinum; adeoque non solum externam ma-
 terialem verborum pronuntiationem quantumvis
 accuratam, quæ sine omni interno actu nullo mo-
 do dici potest vera oratio, aut verus Dei cultus.
 Clara namque sunt verba præcepti *c. Dolentes di-
 strictè præcipientis in virtute sanctæ obedientiæ, ut divi-
 num officium diurnum pariter ac nocturnum, quantum
 illis Dominus dederit, STUDIOSE celebrent, & DEVO-
 TE* Ubi signanter Glossa. STUDIOSE quoad
 Officium oris, DEVOTE quoad Officium cordis. Un-
 de non credo aliquem reperitundum, qui negare
 præsumat, ad satisfaciendum præcepto requiri ali-
 quam

quam internam devotionem voluntatis, seu *intentionem* colendi Deum; ut proinde controversia tantum sit, utrum etiam requiratur aliqua *attentio* intellectus, quæ sit de substantia verè orationis, seu veri cultus divini, quæque indirectè cadat sub præcepto precipiente veram orationem & verum cultum divinum? sit ergo

118. RESOLUTIO affirmativa, cum D. Thom. 4. d. 15. q. 4. a. 2. Navar. c. 14. de Oratione n. 19. Soto, Cajet, Sylvestro & aliis, quos refert & sequitur noster Patrit. hic n. 42.

Ratio autem fundamentalis est: Quia Ecclesia potest præcipere actum internum saltem indirectè, quoties actus internus est de substantia actus externi per se præcepti, ad hoc ut sit actus virtutis, & idoneus ad finem præcepti supernaturalem: atque attentio interna est de substantia veræ orationis, seu veri cultus Dei, qualem præcipit Ecclesia: ergo, confirmatur ex communi Doctorum sententia, imò omnium sensu; in omni oratione jure divino naturali requiritur attentio interna, ac ea ut omnis voluntaria distractio in oratione propriè dicta, sit ali- quod peccatum saltem veniale, quando oratio non est obligatoria, nisi fortè sub veniali: mortale autem, quando oratio jure divino esset obligatoria sub mortali; ut fatentur Valentia tom. 3. Diss. 6. q. 2. p. 9. Suarez de Religione l. 3. c. 4. Less. l. 2. de peccat. c. 37. dub. 11. Quod si ergo sit aliquod jus divinum obligans ad orationem seu cultum divinum, de se tamen indeterminatum, & determinandum ab Ecclesia quoad modum & tempus, utique ipsum jus divinum, ut sic determinatum ab Eccle-

fia

fia, adhuc obligabit sub peccato etiam mortali ad attentionem internam: atqui Ecclesia sub præcepto obedientiæ præcipiens suis ministris, ut horas canonicas tanquam veram orationem & cultum divinum, *studiosè celebrent & devotè*, est mera Executrix & determinatrix juris divini naturalis de colendo Deo, satisfaciendo foundationibus ad divinum officium factis: utrumque enim est juris naturalis, hoc justitiæ, illud Religionis: ergo præceptum illud saltem indirectè & vi legis divini latentis determinatæ, verè obligat sub peccato, & quidem (in materia gravi) mortali ad attentionem internam. Audi super hoc os aureum D. Chrysostomum *hom. 79. ad populum Antioch.* in hæc omnino verba differentem. *Quæ enim excusatio aut venia dabitur nobis, si cum amicis loquentes adsumus animo, mentemque adhibemus: cum Deo verò colloquentes animo in rebus indignis peregrinamur? possétque tam fæda ac turpis esse peregrinatio mentis, ut duplicis sceleris, seu lethalis culpæ labem haberet: unam, verbi causa, cogitati, optati que stupri, seu homicidii, alteram insignis injuriæ, quâ divine preces, Psalmi, Sacraque Scriptura verba tunc afficiuntur.* Hæc Sanctus, loquens de oratione in genere, quid dicturum putas de ipso officio divino?

119. Nihilominus negativa opposita non est omninò rejicienda, utpote multorum ac gravium Doctorum. *D. Antonini, Durandi, Paludani, Melane, Sylvestri, Tabienæ, Rosellæ, Angeli, aliorumque.* Et ideo in priori titulo de conscientia scrupulosa suam memini, scrupulosè orantibus horas in choro, ac propter distractiones, etiam involuntarias, nolentibus

ibus ut valeant, easque idcirco in serum differenti-
bus non sine periculo omnimodæ omissionis, ut
se accommodent huic sententiæ, nec curent distrac-
tiones, omittant repetitiones, &c.

CONFERENTIA LXXII.

Qualis intentio requiratur ad impletionem
cujuscunque legis vel præcepti?

120. **R**ESOLUTIO I. Ad implendam legem,
vel præceptum quodcunque necessaria
est intentio faciendi ipsum opus præceptum: non
item intentio satisfaciendi legi vel præcepto. Ita
Auctores citandi in exemplis.

Explicatur: *necessaria est intentio faciendi ipsum
opus præceptum*: id est, ut quis voluntariè exerceat,
adeoque velit ac intendat facere talem actum, seu
tale opus, quale præceptum est: v. g. Missæ in-
terfit, horas recitet, &c. Unde præcepto non sa-
tisfacit, qui materialiter tantum absque omni in-
tentione & voluntate faciendi opus pium, interest
missæ dormiens, plene ebrius, invitus ac coacte
detentus in loco missæ, &c. Ita Caspens. hic *Disp.*
3. sect. 5. March. tribun. p. 2. tract. 1. tit. 7. q. 4.

Ratio est: quia ad implendum præceptum requi-
ritur quidquid est de substantia præcepti: illud
autem est de substantia præcepti, quod est de in-
trinfeca ratione operis præcepti, seu quod ad mo-
ralem substantiam operis præcepti necessariò re-
quiritur: sed de intrinfeca ratione operis præcepti
est intentio seu voluntas faciendi ipsum opus,
quod præcipitur; siquidem omni lege & præcep-
to utique præcipiatur actus humanus voluntarius,

Pars II.

K

qualis

qualis esse non potest sine dicta intentione : ergo quicumque non habet dictam intentionem faciendi opus præceptum, reverâ non implet, nec satisfacit præcepto.

121. Porro *pro foro externo latè patens est exceptio*. Sic enim satisfacit legi vel præcepto humano
 1. Omissione involuntaria operis prohibiti: v.g. Tu die veneris libenter ederes carnes, sed inopia prohiberis, nihilominus satisfacis præcepto omissionis, adeò ut evites pœnam in comessores carni-um latam, non obstante quod pecces secundum internum affectum indirectè prohibitum à lege. Satisfit involuntaria solutione debiti realis v. g. præbes Parocho decimas, solvis tributum, debitum domino reddis quantumvis involuntarie; quia in debito reali principaliter attenditur res præstanda : econtra verò in debito personali, v. g. in missæ auditione principaliter attenditur actio extendenda ab homine, utpote modo humano & voluntario. Ita *Sotus, Suar, Sanchez, Azorius, alii cum Laym hic c. 4. n. 9.* 3. Qui ex metu quocumque facit opus præceptum debite, alioquin non facturus; ut si puer metu virgarum die dominico missam debite audiat, aliàs non auditurus: die veneris à carnibus abstineat, aliàs non facturus, talis præceptum adimplèsse censendus est.

122. *Non item intentio satisfaciendi præcepto*. Ita *Suar. l. 4. de horis c. 26. Vasq. Sanchez. Laym. & alii apud Patrit. n. 47.* Et Ratio est: quia intentio voluntas satisfaciendi præcepto est actus interior non habens necessariam connexionem cum opere præcepto; quia lex vel præceptum solum præ-

pit voluntariam operis executionem, v. g. ut devote missam audias; non autem ut perculiari actu intendas satisfacere legi vel præcepto.

Hinc sequitur 1. si die dominica, sola privata devotione ductus audias sacrum immemor diei dominicæ, aut nihil cogitans de obligatione, satisfacis tamen præcepto; quia totum opus lege præceptum implevisti; nec proinde postea recordatus esse diem dominicam, vel obligationis, teneris aliam missam audire. 2. Similiter si in die annuntiationis B. V. Mariæ incidente in tempus paschale confitearis & communices, nec habes intentionem satisfaciendi præcepto confessionis & communionis Paschalis, nihilominus utrique satisfecisti, nec obligaris denuò pro paschate confiteri aut communicare, ob eandem rationem. 3. Idem dicendum de horis canonicis, ut si quis cum infirmo vel hospite legit horas, non intendens tunc satisfacere obligationi suæ, & volens eas postea dicere in choro, si sciat se prima vice sufficienter dixisse, satisfecit, nec repetere tenetur. 4. Scrupulosus inter horas recitandas involuntariè distractus habet pro non recitatis, & ideò proponit postea repetere, dummodo certò non constet distractiones fuisse voluntarias, non tenetur, imò prohibendus est eas repetere. *Ex communi Laym. & March. cit.* Ratio iterum est: quia obligatio legis vel præcepti præcise pendet à voluntate superioris præcipientis: quare non est in potestate inferioris prorogare obligationem legis vel præcepti; aut facere, ut lex vel præceptum adhuc obliget postquam opus præceptum reipsa quoad sub-

stantiam impletum est: Atqui in casibus propo-
tis & similibus supponitur opus præceptum, jam
priori actu reipsa impletum esse quoad substan-
tiam: ergò tu inferior tua voluntate pro tunc non
implendi, sed postea alio actu, non potes facere, ut
revera non impletum sit, sed adhuc obliget præ-
ceptum: nec consequenter amplius teneberis,
dummodò persuasionem illam erroneam de-
ponas.

123. RESOLUTIO II. Ad implendam legem
vel præceptum etiam non est necessaria intentio fi-
nis à præcepto intenti. Com. doctrina ex D. Thom.
1. 2. q. 100. a. 9. & 10.

Ratio est: quia lex vel præceptum humanam
solum præcipit actum secundum substantiam bo-
nuni, non autem modum actus, maxime inter-
num, qui ad substantiam actus non est necessarius,
sed omninò extrinsecus: atqui intentio finis præ-
cepti est actus internus, & ad substantiam actus
præcepti minimè necessarius, ergò non requiritur
ad impletionem præcepti, juxta commune illud
dictum, *finis præcepti non cadit sub præceptum*. E.g.
præcepti Ecclesiastici de jejuniis finis est refræntatio
gulæ, ac concupiscentiæ, ut caro spiritui subordi-
netur: satisfacit ergò hinc præcepto, qui voluntarie
debito modo jejunans hujusmodi finem non
intendit; imò si intendat oppositum finem ma-
lum vanæ gloriæ, vel ut piscibus oblectet gulam.
Similiter qui die dominica sacro devotè assistit,
interea pascit oculos sceminarum curioso præ-
ceptu.

124. RESOLUTIO III. Ad implendam legem vel præceptum non requiritur quoque intentio applicandi fructum, vel effectum operis præcepti, *Suar. l. 4. de leg. c. 13. n. 16. Laym. sup. & alii.*

Ratio jam sæpè data est: quia scilicet ejusmodi intentiones sunt actus omninò interni, habentes moralem connexionem *per se*, id est, secluso contractu vel voto. Sic enim sacerdos, hoc ipso, quo suscipit beneficium, aut capellaniam, in qua missæ ad certas intentiones v. g. pro fundationibus, pro certis familiis, in honorem certorum sanctorum celebrari debent vel solent, pacto vel contractu, saltem implicite, se obligat ad sacra celebranda ad talem intentionem, &c. Similiter Religiosus professus Religionem, in qua missæ, orationes, jejunia, aliæque pia opera ad certas intentiones, utpotè pro fundatoribus, benefactoribus &c. applicari solent & debent, etiam implicite promissit, & se obligavit superiori obedientie, si ejuscemodi intentiones præcipiat. Atque hæc de actibus humanis dicta sunt ad laudem & gloriam Dei.

TITULUS III.

De peccatis.

Post actus humanos difformiter ad legem, præceptum seu regulam præscriptam elicitos vel imperatos sequitur peccatum; ut proinde secundum

dum se & naturam suam aliud esse non possit, quàm defectus quidam voluntarius, privatio, vel carentia conformitatis ad legem. Dividitur in originale & personale: & hoc in actuale & habituale. Peccatum originale est privatio justitiæ & sanctitatis debite inesse singulis ex pacto factò à Deo cum Adamo. Peccatum personale, & actuale dicitur, quod propria operantis voluntate committitur. Peccatum denique habituale vocatur, quod post actuale per modum habitualis defectus & maculæ in anima perseverat, donec remissione deleatur. Nobis sermo erit de peccato personali & actuale: itaque fit in ordine

CONFERENTIA LXXIII.

De natura peccati in genere.

125. **C**ommunis & receptissima à Theologis est definitio peccati, quam tradit D. August. l. 22. contra Faustum c. 27. Peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam. Quæ tamen non videtur comprehendere peccata omissionis, utpote quæ non sunt dictum aliquod aut factum, neque concupitum. Nihilominus sit

RESOLUTIO cum communi. Bona est definitio peccati, quod sit dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam.

Explicatur à D. Thom. 1. 2. q. 71. a. 6. hisce verbis: in qua definitione Augustinus posuit duo: unum, quod pertinet ad substantiam actus humani, quod est quasi materiale; cum dicit, dictum, factum, concupitum: aliud, quod pertinet ad rationem mali, quod

quod est quasi formale, cum dixit: contra legem Dei
eternam. Hæc D. Thom. sed paulò uberius de-
claratur à nostro *Patrit. hic. n. 2. & seqq.*

126. Dicitur itaque I. *Dictum, factum, concupitum.*
Ubi exprimitur materiale peccati, quod est actus
aliquis, vel omisio. Ubi adverte, quòd licet S.
Aug. directè solum exprimat materiale peccati
commisisionis, *dictum, factum, concupitum*; ob-
lique tamen etiam comprehendit materiale peccati
omisisionis (*non dictum, non factum, non concupi-*
tum) nam secundum Arist. affirmatio & negatio
reducuntur ad idem. Atque per hoc satisfit ratio-
ni in oppositum ante resolutionem propositæ.
Deinde pulchrè etiam ponit Sanctus illa tria: quia
omne peccatum aut in sola voluntate manet,
ut volitiones, intentiones, & desideria mala, &
ideo dicitur generatim, *concupitum*: aut verbo vel
signo erumpit, ut blasphemix, detractiones, men-
dacia; & dicitur generatim, *dictum*: aut etiam
ipso facto, seu opere externo patrat, & ideo
additur, *factum*: quæ tria aliàs ab aliis exprimun-
tur peccata cordis, oris, & operis. Cæterum nul-
lum dubium est, sanctum per *dictum, factum, con-*
cupitum intellexisse voluntarium, quod scilicet ex
prævia cognitione ac deliberatione intellectus, ac
libero voluntatis consensu sic dicitur, *fit, & concu-*
pscitur. Nam *lib. 3. Retract. c. 13.* & alibi sæpè re-
petit, usque ad voluntarium esse peccatum, ut
si voluntarium non sit, nullo modo peccatum sit.
Sensus ergò definitionis est. *Peccatum est defectus*
voluntatis creature rationalis in operando. Deficit
autem creatura in operando contra legem Dei,

commiffione, faciendo quæ prohibita, aut omiffione, non faciendo, quæ præcepta sunt: patet ergò bonitas & congruentia definitionis quoad primam partem, & materiale peccati.

127. Dicitur II. *Contra legem Dei æternam*. Ubi exprimitur formale, feu ratio formalis peccati, fcilicet ipsa malitia & inhonestas. Quamvis autem malitia moralis actus humani, quæ est ipsa ratio formalis constitutiva peccati jam alibi definita fit *privatio rectitudinis secundum rectam rationem, vel legem debitæ inesse*: adeoque in actu humano malo, feu peccato duplex fit malitia feu deformitas una contra rectam rationem, & altera contra Deum, quæ est præcipuè considerationis Theologicæ: & ideò S. Aug. convenientius definit peccatum per hoc, quod est *contra legem Dei æternam*, quàm ex hoc, quod est *contra rationem*. Unde rectè iterum

Dicitur III. *Dei æternam*, quæ est ipsa ratio & voluntas divina indefectibiliter ordinans honestum prætermiffa recta ratione & lege naturali vel positiva; quia nimirum hæ derivantur à lege divina æterna, tanquam radius à sole.

CONFERENTIA LXXIV.

Utrum omne peccatum mortale avertat peccatorem à Deo, & convertat ad creaturam, ut finem ultimum?

128. **R**ESOLUTIO: Omne peccatum mortale continet implicitam saltem aversionem à Deo ut ultimo fine: & conversionem ad creaturam ut finem ultimum. Ita com. Doct. Theol.

D. Thom.

D. Thom. 1. 2. q. 17. a. 3. Scot. 1. dist. 1. q. 5. & alibi.

Probatur ex Jerem. 2. *Obstupescite cæli super hoc, & porta ejus desolamini vehementer: duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aqua viva, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Quasi diceret: Aversi sunt à Deo bono incommutabili, & conversi ad creaturas vanas, fluxas, & transitorias. Deinde palam est, omne peccatum mortale contrariari legi Dei, cujus observantia necessaria est ad conservandam conjunctionem cum Deo per charitatem & gratiam, & obtinendam beatitudinem; illam enim tollit, ab hac excludit: ergo omne peccatum mortale continet aversionem à Deo ut ultimo fine, *saltem implicitam.* Dixi *saltem implicitam*; quia peccatum mortale non semper continet formalem & expressam à Deo aversionem: sic enim dum quis peccat mortaliter ex infirmitate, vel etiam malitia, formaliter quidem & directe non vult, sed potius nollet averti à Deo; hoc ipso tamen, quo liberè vult peccatum mortale, quod scit repugnare Deo, convincitur virtualiter & implicite velle aversionem à Deo. Et quia etiam transeunte actu peccati, nihilominus malitia peccati in anima habitualiter perseverat, donec per poenitentiam deleatur, planè sequitur aversionem illam à Deo durare, quamdiu homo in statu peccati mortalis perseverat, ut verissimè dicatur talem hominem non habere Deum pro fine suo, quæ extrema malitia & miseria est.

129. Probatur secundo altera pars: & conversionem

sionem ad creaturam, ut finem ultimum. Ultimus namque finis universim dicitur illud bonum, quod propter se tantum amatur & appetitur in operatione, & non in ordine ad aliud: atqui omnis peccans mortaliter appetit creaturam propter se, & omnibus aliis anteposit, quia anteposit ipsi Deo summo bono omne bonum eminenter continenti: dum enim ejus legem violat, gratiam & amicitiam respuit amore creaturæ, hoc ipso plus amare creaturam, quam Deum convincitur: ergo convertitur ad creaturam, ut finem suum ultimum plus Deo dilectum.

Unde sequitur I. Quamvis nullum peccatum mortale quantumvis grave, formaliter, intrinsecè ac simpliciter sit malitiæ infinitæ, ut bene probat Scot. sup. cit. Non enim potest esse malitiæ infinitæ secundum suum materiale, utpote actus humanus, minus ejus ommissio: neque secundum suum formale; sic enim est privatio rectitudinis vel perfectionis debitæ inesse actui vel potentie finitæ ac limitatæ. Nihilominus II. omne peccatum mortale, in ratione offensæ Dei, rectè dicitur malitiæ quasi infinitæ. Sic Theologi communiter cum D. Thom. 3. p. q. 1. ad 2. Scot. 3. d. 20. q. un. Ratio est: quia eo gravius est malum, quo majori bono opponitur, & eo major est offensæ, quo major est dignitas personæ offensæ: atqui omni peccato mortali offenditur Deus infinitæ majestatis, estque aversio à bono infinito: ergo omne peccatum mortale in ratione offensæ Dei rectè dicitur malitiæ infinitæ extrinsecè & objective, comparando scilicet malitiam ad Deum ut terminum

num offensæ. III. Peccatum mortale etiam unicum justè punitur pœnâ æternâ: est de fide. Sicut enim convertens te in operando ad summum bonum super omnia dilectum, ex acceptatione divina jure mereris præmium æternum; ita sanè peccato mortali avertens te à Deo summo & infinito bono, & convertens ad bonum creatum vilissimum contra Dei legem, atque adeo supra Deum dilectum, non sine gravissimo, licet implicito boni infiniti contemptu, ex justissima indignatione divina jure mereris pœnam æternam; ut sic in æternum manens avertens à Deo æternum miser sis in creatura. IV. Peccatum mortale commissum, extra Sacramentum non remittitur per ullum actum, nisi amoris Dei super omnia, aut contritionis perfectæ. Ratio est: quia oppositâ viâ & ratione ad Deum revertendum est, quâ ab eo averfi sumus: sed peccator peccato mortali avertitur à Deo summo bono, plus amando & præferendo illi bonum creatum: ad Deum igitur ejusque gratiam reverti debet de novo amplectendo & amando Deum ut summum bonum super omnia appetitativè, præferendoque omnibus bonis creatis, etiam sibi ipsi; quod explicitè fit in actu amoris Dei super omnia; & saltem implicitè fieri debet in actu contritionis perfectæ, quâ dolemus & detestamur peccatum commissum super omne detestabile, quatenus est
offensa Dei summi boni super omnia dilecti.

CON.

CONFERENTIA LXXV.

De unitate & distinctione peccatorum.

Hic quaeritur, unde cognosci possit, quod unum peccatum sit distinctae speciei ab altero, vel quando solo numero differant: sunt enim multa, quae ad actum peccaminosum concurrunt, utpote objectum prohibitum: Malitia seu deformitas contra rectam rationem vel legem: rectitudo virtutis oppositae: & denique ipsum praecipuum: de quibus proinde dubitatur, à quo eorum sumatur unitas & distinctio specifica peccatorum. Sic itaque

1^o. RESOLUTIO I. Peccatorum unitas & distinctio specifica *causaliter*, quoad actum peccaminosum, sumitur ab objectis formalibus. Ita *commun.* cum D. Thoma 1, 2, q. 72, a. 1.

Ratio patet: quia, notissimum est in Philosophia, actus extrinsecè & causaliter specificari ab objectis: atqui actus peccaminosus per se directe tendit in objecta vetita: ergo unitas & distinctio specifica peccatorum causaliter & extrinsecè delimitur ab objectis formalibus; quatenus nimirum fundant malitias seu deformitates ejusdem vel diversae rationis contra rectam rationem vel legem, id est, contra virtutem vel praecipuum. Explico clarius: illa peccata sunt ejusdem speciei, quae habent objecta formalia ejusdem speciei, fundantia scilicet malitiam & deformitatem ejusdem rationis; sic ejusdem speciei sunt superbia de bonis spiritualibus & temporalibus: gula in cibo & potu: furtum in quavis materia. Etsi enim ipsi actus, & objecta

objecta materialia sint diversæ speciei, formaliter tamen fundant malitiam ejusdem rationis; utpote *superbia* inordinatam excellentiam: *gula* excessum temperantiæ: & *furtum* violationem justitiæ. Econtra illa peccata distinguuntur specie, quæ habent objecta formalia diversæ rationis, seu fundant diversas malitias & deformitates contra rectam rationem, vel leges diversas; ut patet in fornicatione, adulterio, incestu, sacrilegio, &c.

131. RESOLUTIO II. Peccatorum unitas & distinctio *formaliter*, & quoad ipsam malitiam, desumitur ab unitate & distinctione specifica rectitudinum seu virtutum oppositarum. Sic Scotus in 2. d. 37. q. 1. cum suis, & aliis.

Ratio est: quia peccatum formaliter, seu malitia moralis, ac ratio formalis constitutiva peccati consistit in privatione rectitudinis debitæ inesse, secundum rectam rationem vel legem: quæ rectitudo ipsa nil aliud est, quam honestas virtutis oppositæ: unde peccatum seu malum morale formaliter est privatio boni honesti, seu virtutis, teste D. Dionysio de Divinis nominibus c. 4. Atqui notum est privationes specificari atque distingui per formas oppositas, quibus privant: ergo unitas & distinctio specifica peccatorum formaliter delimitur ab unitate & distinctione specifica rectitudinum, seu virtutum oppositarum; adeo ut illa peccata sint ejusdem speciei, quæ eidem virtuti, & secundum eandem deformitatis rationem adversantur: econtra verò illa peccata sunt diversæ speciei, quæ diversis virtutibus, aut etiam eidem virtuti, tamen secundum diversam rationem deformitatis adversantur. Sic

Sic odium Dei & proximi, blasphemia, furtum &c. sunt diversæ speciei, quia repugnant diversæ speciei virtutibus, videlicet charitati, religioni, justitiæ, &c. Porro etiam eidem virtuti, quamvis unam tantum habeat integram conformitatem ad rectam rationem (*quia bonum est ex integra causa*) tamen ad-versari possunt diversa specie peccata per diversas difformitates vel defectus; *quia malum est ex quolibet defectu*. Sic v. g. charitati opponuntur diversa specie peccata per commissionem, *odisse Deum vel proximum*: & per omissionem: *quando oportet, non amare, non succurrere*. Item eidem virtuti Religionis, penes diversos modos inhonorandi Deum, opponuntur diversa specie peccata irreligiositatis; ut blasphemix, perjuria, superstitiones, sacrilegia, votorum violationes, festorum contemptus &c. Item eidem virtuti *justitia* penes diversos modos lædendi jus alterius, puta, in bonis vita, famæ, fortunæ, &c. opponuntur diversa specie peccata injustitiæ, homicidia, adulteria, detractiones, furta, &c.

132. RESOLUTIO III. Peccatorum unitas & distinctio specifica etiam desumitur ab unitate & distinctioe specifica & formali præceptorum; non item materialiter, & numero tantum differentium. *Com. apud Vasq. disp. 98. Sanch. l. 9. de Matrim. disp. 15. Laym. l. 3. c. 2.*

Ratio primæ partis est. Quia peccatum formaliter consistit in privatione rectitudinis debitæ inesse secundum rectam rationem vel legem: ergo unitas & distinctio specifica peccatorum recte etiam desumitur ab unitate & distinctioe specifica legum

legum vel præceptorum; adeò ut illa peccata sint specie diversa, quæ repugnant præceptis formaliter & specie diversis, prohibentibus scilicet talia peccata sub diverso motivo distinctarum virtutum.

Sic quia homicidium & furtum prohibentur lege naturali, divina, & humana, sub eodem motivo virtutis justitiæ, non constituunt tres species peccatorum: At verò homicidium Clerici, furtum rei sacræ, specialiter prohibentur lege Ecclesiastica sub motivo diversæ virtutis Religionis propter specialem injuriam ac irreverentiam personæ, ut rei Deo sacræ in ipsum Deum redundantem, & ideò sunt duo specie diversa peccata, etiam in eodem actu.

Ratio secundæ partis, *non item materialiter & numero tantum differentium*: præcepta namque materialiter & numero tantum distincta, quæ scilicet de eadem re formaliter, ac sub ejusdem virtutis motivo ponuntur à diversis legislatoribus, vel diverso tempore, nihil omninò faciunt ad distinctionem peccatorum, sive specificam, sive numericam. Sic v. g. furtum simplex prohibetur lege divina, humana, Ecclesiastica, politica; semper tamen ejusdem speciei, ac in eodem actu, idem numero peccatum est; quia omnes hæ leges formaliter ejusdem speciei sunt, quatenus sub eodem motivo ejusdem virtutis justitiæ furtum prohibent. Similiter si blasphemia v. g. jure divino prohibitissima, etiam jure Ecclesiastico sub excommunicatione prohiberetur, maneret idem specie & numero peccatum: non enim alia ratione & motivo prohiberetur ab Ecclesia, quam de facto prohibita est lege divina, videlicet sub motivo Religionis.

CON

CONFERENTIA LXXVI.

De unitate & distinctione numerica peccatorum.

133. **R**ESOLUTIO: Peccatorum unitas & distinctio numerica desumitur ab unitate & distinctione numerica ipsius actus: in merè internis quidem physica: in externis verò peccatis secundum moralem continuationem vel interruptionem actus interni cum externis. Ita communis, &c.

Explicatur: Dicitur I. *Desumitur ab unitate & distinctione numerica ipsius actus.* Ita quidem, ut idem numero actus constituat item numero peccatorum: & plures numero actus plura peccata. Ceterum certum est esse plura numero peccata, etiam si objectum sit idem, si eundem hominem iteratim odio habeas, percussas, vel aliã injuriã afficias; controvertitur tamen, an maneat idem numero peccatum, quando idem actus tendit in plura objecta ad quod

Respondet noster *Patrit. hic n. 15.* Quoad praxin omninò perinde esse, siue dicas uno actu odium decem homines, esse decem peccata; & ideo enumeranda in confessione: siue dicas esse unum numero peccatum, sed æquivalens decem; & ideo numerum objectorum, tanquam augmentem materialitatem substantialem actus, necessariò explicandum in sacro tribunali. Etiam perinde est, siue objecta multiplicentur *materialiter* tantum; ut si uno actu plures homines, infames, occidas: si uno proposito velis officium omittere per mensem, jejunium

per totam quadragesimam, &c. Sive objecta multiplicentur *formaliter*; nimirum sub distinctis actibus externis, intenta ab uno actu interno; ut si voluntas uno quidem actu interno intendat ac proponat, tamen per plures actus externos tendere in plura objecta: v. g. occidere plures (distinctis vicibus) cognoscere plures feminas, modo hanc, postea aliam, &c. Quod si tamen peccata externa consummentur, siue controversia illa erunt distincta numero peccata, nil obstante unitate actus interni.

134. Dicitur II. *In merè internis quidem physica.* Hoc est, peccata merè interna sola mala voluntate consummata, sumunt unitatem & distinctionem suam numericam à physica unitate & distinctione ipsius actus; ut tot sint numero peccata, quoties physice, voluntariè tamen, interrumpuntur actus. *Ita omnes:* & ratio est. Quia peccatum toties multiplicatur numero, quoties perfectè consummatur: sed peccata merè interna toties perfectè consummantur, quoties interrupta voluntariè repetuntur: ut actus odii, blasphemix, hæresis, invidiæ, &c. Item consensus, complacentiæ, delectationes morosæ circa actus externos, eorumque objecta, &c. quoties repetuntur ac renovantur (ita ut posterior à priori nullo modo dependeat) toties perfectè consummentur, & consequenter totiant peccata numero distincta, licet notabilis temporis mora non intercefferit. Ut proinde fieri possit, hominem uno die, vel etiam unâ horâ committere mille peccata interna odii, invidiæ, delectationis morosæ, &c.

Pars II.

L

Porro

Porro advertunt hic Doctores plerumque, cum impossibile sit hujusmodi peccatorum interiorum in confessione numerū inire, sufficere explicare metam temporis, quā quis in tali mala voluntate perstitit: v. g. integro anno in odio & inimicitia sapissime, cum memoria inimici recurreret, actus odii, rancoris, invidiae, vindictae, &c. renovavi. Sic Meretrix publica satisfacit ita confitendo; *tot annis in statu meretricio permansi: quoties occasio fuit, admissi copiam corporis mei quibusvis, conjugatis, sacris, &c.* Monet tamen recte Diana p. 3. tract. 4. resol. 89. exprimere debere species peccatorum, quantum potest.

135. Dicitur III. *In externis vero peccatis secundum moralem continuationem, &c.* Id est: peccata, quae posito actu interno, opere externo conlumantur, sumunt unitatem & distinctionem numericam ab unitate, & distinctione morali tantum actuum tam interiorum, quam exteriorum, *secundum moralem continuationem, vel interruptionem actus interni.* Ut proinde actus internus tamdiu censetur idem numero continuari, vel durare moraliter, quamdiu non est revocatus *formaliter, vel interpretative.* Revocatur autem *formaliter* actus internus per actum contrarium; quando nimirum voluntas actui priori malo actum contrarium, vel notationis efficaciae, aut saltem simplicis displicentiae vel aversionis elicit. *Interpretative* vero revocari censetur actus per ejus cessationem voluntariam; quando scilicet voluntas se reflectens super priorem actum, vel propositum malum, aut negative se avertit, aut ad alium actum impossibilem se divertit: e. g. si proposuisses hodie exire ad fornicandum

candum, occidendum, &c. & memor hujus pro-
positi, domi manere aliud aliquid facere, vel cubi-
tum te conferre velles, tunc interpretativè censebe-
ris revocasse actum priorem etsi actualiter non re-
vocaveris.

CONFERENTIA LXXVII.

Item de unitate & distinctione peccatorum
numerica.

136. **L**ubricus succumbit tentationi carnali, con-
sentit, efficaciter proponit, pergit, &c. ad
quærendam occasionem. Interim hanc suam vo-
luntatem millies repetit, donec quis intentum ope-
re compleverit: an peccaverit millies?

RESOLUTIO: Lubricus unum tantum nu-
mero peccatum commisit.

Ratio est: quia omnes actus & motus sequen-
tes uniuntur moraliter cum primo consensu effica-
ci, in ordine ad eandem consummationem carna-
lem externam. Quod si autem quandoque pro-
positum suum malum revocaverit, iterumque as-
sumpserit, tot numero peccata commisit, quod in-
tercesserunt revocationes formales, vel interpreta-
tivæ. Ita *com. Navar. c. 6. n. 26. Vasq. disp. 75. c. 2. Laym. & Patrit. 19. n.*

Idem omninò dicendum de eo, qui voluntariè
retinet rem alienam per annum, vel annos etiam
plurimos, licet voluntas eam detinendi vel non
restituendi infinities repetatur, semper tamen manet
idem numero peccatum; nisi fortè ad confessio-
nem accedens revocet suam malam voluntatem:
quæ si iterum assumat post confessionem, pecca-
bit

bit novo peccato toties, quoties revocatam resumpserit. Simili modo discurrendum est de alio quovis peccato, utpote fornicatione, occisione, furto, omittendis horis canonicis, &c. quamdiu enim manet prima intentio fornicandi, occidendi, furandi, omittendo horas, nunquam interrupta tamdiu est tantum unum numero peccatum: e contra quoties illa prima intentio interruptitur formaliter vel interpretative, & renovatur, toties multiplicatur ejusdem numerus, ita quidem, ut quis integro mense vel etiam anno, circa idem objectum possit tantum semel peccare, & alius uno die centies si toties intentionem primam interrupperit moraliter.

CONFERENTIA LXXVIII.

Item de unitate & distinctione peccatorum numerica.

137. **F**uribundus eodem actu interno, & eodem commotionis impetu alterum saepius verberat; an unum tantum numero peccatum committat (item eodem motu, & impetu Deum blasphemat, saepius pejerat, saepius homini maledicit, eandem calumniam saepius exprobrat, in eadem materia saepius detrahit, &c.

RESOLUTIO: Idem numero peccatum moraliter censetur, quando durante uno, eodemque actu interno consummandi peccatum externum multiplicatur solus actus externus spectans ad eandem consummationem peccati intenti. *Con. Nav. Laym. Dian. &c.*

Ratio est: quia unitas, idemque impetus actus interni ad consummandum peccatum externum, in

genere moris tribuit etiam moralem unitatem distinctis actibus externis habentibus se per modum partium ad unam totalem consumationem: hoc autem omninò contingit in prædictis casibus: igitur, &c.

Unde secus dicendum, quando quis per intervallo, etsi vi prioris impetus, iteratò accessit ad percutiendum, blasphemandum, pejerandum, &c. aut eodem, licet continuo impetu, plures hominis injuriæ affecit: aut eidem homini diversæ rationis injurias intulit: v. g. appellando furem, adulterum magum, &c. Tunc enim, multiplicantur peccata externa, maximè in ordine ad confessionem.

CONFERENCE LXXIX.

An, qui furatur integram Bibliothecam, vel omnem domus supellectilem, per totam noctem sæpissimè renovatis actibus internis, & iteratis ablationibus (etiam ad mortale singulis sufficientibus) unum tantum numero furtum committat?

158. **R**espondeo: Eum tantum unum furtum committere: ratio est: quia omnes ipsi actus unijuntur sub uno intento principali, videlicet auferendi totam talem quantitatem; ut proinde in confessione sufficiat dicere: furatus sum integram Bibliothecam, aut spoliatus sum domum tota sua supellectili tanti & tanti valoris, tacita iteratione actuum. Ita Navar. c. 16. n. 18. Bonacin. 1. 2. disp. 2. q. 4. prop. 2. & Patrit. hic n. 21.

Item ultor efficaciter proponit occidere suum inimicum, plurimos exercet actus internos odii,

ira, vindictæ, inquisitiones occasionum, electiones
 mediorum; eosque sæpius repetit actus: pluri-
 mos quoque exercet actus externos: pluribus die-
 bus insidias instruit, arma expedit, socios convocat,
 equum ascendit, proficiscitur, deprehensum inimicum
 verbis infestat, provocat, iteratò ferit, tandem
 occidit, etiam jam mortuo ictus infligit. Similiter
 volens peccare carnaliter, quot distinctissimos ac-
 tus exercet, verba impudica, sollicitationes, tactus.
 Utrobique tamen omnes ipsi actus diversissimi,
 interni, & externi (una cum ipso actu principali
 homicidio, fornicatione) unum tantum numero
 peccatum constituunt; ut sufficiat confiteri actum
 principalem: scilicet *commisi homicidium voluntarium:
 fornicatus sum semel, &c.* nulla facta mentio-
 ne actuum præcedentium; quia hi facile à confes-
 sario intelliguntur: quia nimirum omnes isti actus
 interni, & externi ad actum principalem ex natura
 sua diriguntur.

139. Cæterum secus dicendum est, si alii actus
 accedant ad illum actum principalem ex natura
 sua non ordinati, vel aliàs diversam malitiam con-
 tinentes: v. g. si occidas veneno, vel maleficio: si
 velis occidere, sed prius egregie cruciare vel tor-
 quere: item si ad finem fornicationis obtinenda
 usus, & philtis, vel mediis magicis: vel si antea ha-
 buisti solum delectationes morosas: aut ineffica-
 ces concupiscentias ad sæminam: si exercuisti ob-
 cula, tactus, amplexus impudicos, sine intentione
 copulæ, & postea primò novo actu efficaci copu-
 la secuta est. Tunc enim alii actus prævii interni
 vel externi manent peccata seorsim specie, vel nu-
 mero

mero distincta ideoque seorsim confitenda, nisi ignorantia vel inadvertentia excuset. Quod si tandem actus illi prævii ad actum principalem homicidii, vel fornicationis ordinati non sortiantur suam effectum, erunt nihilominus confitendi, quia tunc non uniuntur in principali intento, secundum omnes.

140. Dictam doctrinam extendunt Navar. c. 6. n. 17. Azor. tom. 1. l. 4. q. 6. Laym. l. 1. T. 2. c. 9. n. 8. & alii, etiam ad actus malos, ipsum actum principalem consequentes tanquam accessoria complementa; cujusmodi sunt gaudium vel complacentia de actu consummato: colloquia, oscula, tactus, &c. sequentes actum venereum si tamen sunt absque intentione, vel ordine ad novam copulam; adhuc nimirum constituere unum numero peccatum cum actu principali.

CONFERENTIA LXXX.

An celebrans in peccato mortali, vel legens Missam, in qua continentur plures actiones sacramentales, utpote consecratio, sumptio, & communicatio aliorum, committat tria, aut unum tantum peccatum mortale?

141. RESOLUTIO: Idem numero peccatum censetur, quod committitur circa actiones ex natura, vel institutione sua integratas, ex pluribus actibus conjunctis.

Ratio est: quia omnes isti actus integrant unum numero ministerium celebrationis Missæ, vel etiam alterius Sacramenti administrationem. Unde Sacerdos, qui una vice & intentione (notabiliter non

interrupta) se exponit excipiendis confessionibus aut distribuendo Sacramento Eucharistiæ, existens in peccato mortali, quotcumque absolvat, quotcumque sacras hostias distribuatur, unum tantum peccatum mortale committit: quia nimirum omnes illæ absolutiones & distributiones, uno actu continuo successivo fiunt, & ad unum moraliter pertinent ministerium absolvendi vel comunicandi. Unde in confessione sufficet dicere; *ministravi Sacramentum Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ* (positâ sententiâ etiam hoc esse mortale) *in statu peccati mortali semel.* Ita *Pœnit. cit. n. 22.*

De peccato omissionis.

142. **P**Ræcipuæ sunt divisiones peccati actualis. I. Penes *materiale*, in peccatum commissionis, & omissionis, quæ ex terminis patent. II. Penes *formale*, seu reatum culpæ, in mortale, & veniale. III. Penes *subjectum* peccati, in internum, & externum, seu in peccatum cordis, oris, & operis.

IV. Penes *causam peccati*, in peccatum ex ignorantia, infirmitate, & certa malitia. V. Penes *objectum* contra quod, circa quod peccatur, dividitur in peccatum contra Deum, contra proximum & contra seipsum. Peccata contra Deum specialiter dicuntur, quæ opponuntur, virtutibus Theologicis, fidei, spei, charitati & Religioni.

Peccata contra proximum sunt, quæ charitati & justitiæ adversantur. Peccata contra se ipsum sunt, quæ sunt contra temperantiam & fortitudinem.

VI. Alia dicuntur peccata carnalia, ut gula, luxuria: alia spiritualia, quæ consistunt in concupiscentia

centia mentis inordinatæ, ut superbia, & avaritia. In hac conferentia pauca dicentur de peccato omissionis de reliquis in sublequentibus: itaque fit

RESOLUTIO: possibile est peccatum puræ omissionis, id est, potest dari ommissio voluntaria, libera, & culpabilis, absque omni actu positivo moraliter afficiente omissionem, Ita Scot. in 4. d. 49. q. 20. cum suis. Quidquid dicant alii, nam

Ratio est evidens: quia voluntas est libera non tantum quoad specificationem; ut scilicet proposito objecto possit illud velle, vel nolle positive, sed etiam quoad exercitium; ut nimirum proposito objecto possit illud velle, vel non velle;posito ergo dictamine *hic & nunc esse sacrum audiendum*, in voluntatis libertate est non tantum velle, aut nolle, sed etiam merè negative non velle, seu suspendere omnem actum volitionis, & nolitionis; atqui hoc posito erit ommissio pura, voluntaria, ac libera, ideoque culpabilis; voluntaria quidem (non utique positive directe, vel indirecte, ut per se constat, sed interpretative, & tacite) quia nimirum voluntarie est *nolatio*, cum posset, & deberet; quidquid enim voluntas potest, & debet nolle; vel cavere, & non cavet, id est, non vult, interpretative & tacite velle censetur. *Libera vero & culpabilis est*, quia inest voluntati pro instanti, quo potest & debet ei non inesse siquidem pro eodem instanti potest, & debet ei inesse actus oppositus, *vel audire sacrum*, ergo datur ommissio pura voluntaria, & culpabilis absque omni actu positivo interno moraliter concurrente ad omissionem sacri;

L s

atqui

atque eadem est ratio, de omissione externa sacri-
v. g. aliquis in lusu constitutus in die festo, audito
ultimo signo ad sacrum, recordatur obligationis
de missa audienda; potest absque actu positivo de
missa audienda vel non audienda, simpliciter per-
gere in lusu incepto & ita interim negligere sa-
crum, absque eo, quod ex aliquo affectu positivo
lulus negligat. Hoc autem casu iterum erit omis-
sio pura, voluntaria, libera, & culpabilis: Ergo
est possibile peccatum puræ omissionis, & exter-
num absque omni actu positivo moraliter affi-
cente ipsam omissionem, qui scilicet aliquo modo
sit causa omissionis, seu ex cuius effectu fieret ipsa
omissio. Sequitur ergo evidenter, vel debere ad-
mitti puram omissionem peccaminosam, vel de-
bere negari libertatem voluntatis quoad exerci-
tium.

CONFERENTIA LXXXI.

An omnia peccata sint æqualia?

144. **P**eccata alia aliis graviora esse, constat aper-
tè ex scriptura, *major effecta est ini-
quitas populi mei peccato Sodomorum.* Joan. 19. ait
Christus ad Pilatum, *Qui me tradidit tibi, majus
peccatum habet.* Et ratio est; quia pœna debet res-
pondere gravitati peccati; sed utroque jure divi-
no & humano, graviori pœna punitur homici-
dium, quàm furtum; adulterium, quàm simplex
fornicatio; consequenter peccata non sunt æqua-
lia in gravitate quoad propriam malitiam specifi-
cam. Ad dignoscendum autem, quæ peccata aliis
graviora sint

Re.

Respondent I. Peccata per se & intrinsecè mala, cæteris paribus graviora sunt peccatis solum ex prohibitione malis. Illa namque naturalem deformitatem habent contra rationem, & ipsam legem naturalem; hæc verò ex se vel bona sunt, vel indifferentia; ut comedere carnes die prohibito.

II. Inter peccata per se & intrinsecè mala, graviora sunt, quæ adversantur majori bono, seu objecto nobiliori. Sic peccata contra Deum, odium Dei, hæresis, blasphemia, &c. longè graviora sunt, quàm peccata contra hominem. Et peccata contra hominem illa graviora sunt, quæ meliori bono nocent, quàm quæ minus bono: unde gravius est homicidium detractio: quia vita nobilior est famâ.

III. Inter peccata ex prohibitione legis tantum illa graviora sunt, quæ adversantur præcepto majoris momenti: v. g. die festo præcipitur auditio sacri omnibus; & simul certis personis custodia civitatis: proinde gravius peccatum esset, negligere custodiam, quàm omittere sacrum, quia illud est majoris momenti, concernens commune bonum.

IV. Universaliter, cæteris paribus, majus peccatum est quod opponitur nobiliori virtuti. Quare omnium gravissimum peccatum est odium Dei, quia charitas divina opposita virtus excellentissima. Unde ad quæstionem conferentia sit

145. RESOLUTIO: Peccata non sunt omnia mortalia, sed aliqua venialia. Est de fide, Sap. 16. *homo per malitiam occidit animam suam.* Ezech. 18. *anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Rom. 6. *Stipendia peccati mors.* Ex quo desumitur

Ratio: quia per peccatum mortale intelligitur id, quod excludit à gratia, & amicitia divina, ac consequenter à beatitudine æterna, mereturque poenam æternam: ideoque dictum mortale quod privet animam vitâ spirituali gratiæ & gloriæ inferatque spirituales mortem culpæ, & poenæ æternæ: sed talia esse aliqua saltem peccata aperitissime loquitur script. igitur, &c.

Dixi, aliqua saltem peccata, scilicet esse mortalia, quod autem aliqua etiam sint venialia tantum, patet iterum inde, quia per peccatum veniale intelligitur illud, quod ex sui levitate non excludit à gratia, & beatitudine, & stat cum gratia, justitia, & amicitia Dei, neque poenam meretur æternam; sed dari ejusmodi peccata levia evidenter constat ex sacris litteris: nam justis etiam tribuuntur peccata. Proverb. 20. *Quis potest dicere: mundum est cor meum: purus sum à peccato.* ibid. 24. *Septies in die cadit justus, & resurgit; impii autem corrueunt in malum.* 1. Joan. 1. *si dixerimus, quia peccatum non habemus, veritas in nobis non est.* Jac. 3. *in multis offendimus omnes.* Joan. autem & Jacobus sine dubio justis fuerunt: atqui in justis non potest esse peccatum mortale, quod consistere nequit, cum justitia, & gratia divina: igitur, &c. Deinde Christus Matth. 5. ipsemet ait: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autem*

autem dixerit fratri suo, raca, reus erit consilio; qui
autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Ubi
salvator expressè significat, aliquem per peccatum
posse esse reum culpæ, & pœnæ, non tamen etiam
gehennæ, seu damnationis æternæ; quod non
competit nisi peccato veniali. Rursus Matth. 12.
ait: qui autem dixerit blasphemiam contra Spiritum
sanctum, non remittitur ei, neque in hoc seculo, neque
in futuro. Ubi supponit Dominus aliqua peccata
remitti in futuro seculo: sed certum est in futuro
seculo non posse dimitti mortalia: Ergò intelligit
venialia.

Respondent: adversarii: ideò aliqua peccata
non expellere gratiam Dei, quia Deus illa non im-
putat ad pœnam ergò saltem ex natura sua non
sunt venialia tantum. Contrà, quia peccata non
ideò sunt digna pœnâ æternâ, quia Deus illa impu-
tat, vel quia vult ea punire pœnâ æternâ; sed econ-
tra ideò Deus vult ea punire pœnâ æternâ, quia
sunt digna tali pœnâ æternâ, ita exigente ratione
sue iustitiæ: Cum ergò venialia non puniat pœ-
nâ æternâ, ex se & naturâ suâ non sunt digna tali
pœnâ.

CONFERENTIA LXXXII.

Peccati mortalis definitio & differentia
à veniali.

146. Quid sit peccatum mortale? Respondet P. To-
bias Lohner in sua instructione practica
esse id, quod ob sui gravitatem, gratiam, & ami-
citiâ cum Deo solvit, & pœnam æternam me-
retur. Nostro P. Patrit. hic a. 4. placet illud ita de-
finire.

finire. *Peccatum mortale est defectus contra legem, vel præceptum, cujus observantia necessaria est simpliciter ad conservandam gratiam, & salutem finalem consequendam: Veniale verò est.* Defectus contra legem vel præceptum, cujus observatio non est simpliciter necessaria, sed tantum secundum quid, ad melius vel citius consequendam salutem finalem. Coincidit cum priore.

Explicatur utraque simul. Quia peccatum mortale & veniale communiter dicuntur differre in hoc, quod *mortale* avertat à Deo sine ultimo simpliciter, *Veniale* verò non avertat, nisi secundum quid, id est, quòd *mortale* tollat charitatem seu conjunctionem cum Deo ultimo sine; *veniale* autem non tollat, sed solum minuat charitatem, faciendò, ut homo minus fervidè feratur in Deum ultimum finem. Unde peccatum mortale dicitur mors animæ; veniale verò languor, & infirmitas tantum: Hinc omne peccatum cedens in gravem Dei, seu honoris, & cultus Deo debiti injuriam, mortale est. Cujusmodi sunt omnia peccata contra virtutes Theologicas puta, fidem, spem, charitatem. Item contra Religionem de quibus infra plura. Deinde omne peccatum graviter lædens charitatem, aut justitiam erga proximum in bonis animæ, corporis, famæ, fortunæ: seu cedens in grave nocumentum spirituale, vel temporale, mortale est: si leve tantum nocumentum, veniale cenferi debet. Insuper omne peccatum cedens in grave nocumentum propriæ salutis spiritualis, vel corporalis, mortale est, v.g. luxuriæ peccatum, & ebriacatis perfectæ. At verò secluso

de-

detrimto gravi salutis spiritualis, vel corporalis omnia peccata commissa contra proprium bonum per se venialia sunt; ut inordinata dispositio bonorum temporalium, prodiga profusio, negligens cura: aut e contra nimia sollicitudo, tenacitas, &c.

147. Ulterius omnia peccata contra praecepta divina in Decalogo, Evangelio, vel alibi expressa, in materia gravi mortalia sunt: in materia levi (si detur) venialia, peccata vero contra praecepta humana, tunc solum sunt mortalia, quando concurrunt materia gravis & intentio Legislatoris volentis obligare sub mortali. *Ita com. doctrina in materia de legibus.* Item quaecunque peccata dicuntur in sacris litteris *excludere a regno caelorum, esse abominabilia, vel abominationem coram Deo: morte digna, &c.* sunt peccata mortalia. Si autem sanctissima mitioribus verbis utatur, signum est ea esse venialia tantum. e. g. Ephes. 5. *Fornicatio autem, & omnis munditia, & avaritia nec nominetur in vobis sicut decet sanctos: aut turpitudinis, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quae ad rem non pertinent. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi, & Dei.* Ubi nota, Apostolum subticere & non repetere, *stultiloquium, & scurrilitatem contentus dixisse, quae ad rem non pertinent: scilicet vana, inordinata, & imperfecta esse; ideoque inter venialia computanda.* At vero fornicationem, immunditiam & avaritiam dixit *abominanda, nec nominanda à* san-

san-

sanctis, & excludere à regno Dei; ac proinde peccatis mortalibus accensenda.

Denique quando ex terminis præceptorum, vel sententiæ non constat de qualitate peccatorum, mortalene sit, an veniale, recurrendum est ad traditionem Ecclesiæ. Quidquid enim in Ecclesia Catholica communiter habetur pro peccato mortali, sine dubio pro tali est habendum, inde enim scimus omittere sacrum, vel horas, violare jejunium, communicare sine pravâ confessione peccati mortalis cogniti, &c. esse peccata mortalia; quia nimirum spiritus S. Ecclesiam à se gubernatam, in re tanti momenti, salutem animarum concernente, non sinit errare.

CONFERENTIA LXXXIII.

An, & quomodo peccatum mortale ex genere suo fieri possit in individuo veniale?

148. **P**eccatum mortale, ex genere dicitur quod ex proprio objecto suo, seclusâ malitiâ alterius speciei, est, vel potest esse mortale. Estque triplex I. *Mortale ex objecto per se*, quod scilicet ex ipso objecto secundum se habet intrinsecam malitiam mortalem, seclusa prohibitione legis; cujusmodi est blasphemia, adulterium & furtum. II. *Mortale ex præcepto*, quod ideo tantum mortale est, quia lege positiva prohibetur, ut comedere carnes die jejunii, omittere sacrum, confessionem, communionem annuam, &c. III. *Mortale ex accidente, vel circumstantia*: quod licet secundum se, neque ex objecto, neque ex præcepto mortale

mortale sit, sed vel veniale vel omninò indifferens, tamen ex certa circumstantia malitiam mortalem contrahit: de quo plura infra, ubi de peccato veniali ex genere, an possit etiam aliquo modo fieri mortale. Jam sit

149. RESOLUTIO: Peccatum mortale ex genere suo fieri potest veniale, quatuor potissimum modis; utpote *ex conscientia erronea; ex causa excusante: ex imperfectione actus, & parvitate materiae.* Ita *Patrit. hic n. 9.* Explicatur.

Dicitur I. *Ex conscientia erronea*, quando enim quis errore invincibili putat peccatum aliquod esse veniale tantum, quod re ipsa mortale est, v.g. perjurium assertorium in re levi, is solum venialiter peccat; prout & econtra invincibiliter putans aliquid esse mortale, quod solum est veniale, is re ipsa mortaliter peccat. De quo plura sup. *Titul. 1. de conscient. erronea.*

Dicitur II. *Ex causa excusante*; Quia quaecunque causa potest excusare à peccato in toto, in modo suo defectu excusat à mortali, ac veniale constituit. Ratio est: quia spectata humana fragilitate, in moralibus difficillimum est medium tangere in puncto, & levem etiam defectum evitare: adeoque ad hoc hominem sub mortali obligare, ratio non potest. E.g. Ignorantia invincibilis excusat à toto peccato; ergò vincibilis levis & non crassa excusat à mortali. Deinde extrema necessitas excusat omnino à peccato furti: ergò valde gravis excusat saltem à mortali rei necessariæ. Postremo necessitas propriæ defensionis cum perfecto moderamine inculpatae tutelæ omnino excusat à peccato

Pars II.

M

cato

cato homicidium injusti invaloris : ergo eadem necessitas cum levi, & non supino defectu dicitur moderaminis, saltem excusat à peccato mortali.

Denique metus mortis, vel alterius gravissimi mali, indirectè excusat à transgressione legum positivarum ac etiam aliquarum naturalium: ergo metus ejusdem mali non adeò gravis excusat saltem à mortali. V. g. metus morbi gravioris omninò excusat ab audiendo sacro, vel jejunio: ergo metus morbi non ita gravis, utpotè gravioris catharri, saltem excusabit à mortali, &c.

Dicitur III. *Ex imperfectione actus.* Quia ut aliud sit, peccatum mortale, requiritur ex parte intellectus perfecta advertentia & deliberatio: & ex parte voluntatis plenus consensus: quorum unum, si desit, aut sit solum imperfecta deliberatio, aut semiplenus consensus, peccatum veniale tantum erit ex imperfectione actus, in quacunque materia, lege vel præcepto secundum omnes. Ratio est: quia ad peccatum mortale, quo homo simpliciter avertitur à Deo æternam pœnam meretur, utique requiritur actus moralis perfectus ac liber simpliciter: talis autem non est sine perfecta deliberatione, & pleno consensu: igitur, &c.

Dicitur IV. *Ex parvitate, vel levitate materiae.* Etenim omne peccatum mortale ut sit, ex parte objecti requirit materiam gravem secundum se, vel ex fine, aut circumstantiis intentis: quando ergo materia, tam secundum se, quam secundum finem, ac circumstantias verè parva ac levis est, cessat mortale peccatum, & fit veniale ex parvitate materiae.

materia. Et ratio est; quia ubi materia prohibita parvi est momenti, moraliter parva est offensio.

CONFERENTIA LXXXIV.

In quibus peccatis potest dari parvitas materiae; & unde desumenda?

150. **R**ESOLUTIO: Nulla datur parvitas materiae excusans à mortali in illis peccatis, quibus directe læditur perfectio Dei infinita, aut bonum quodvis magnum indivisibiliter. Ita Pat. cit. n. 14. & omnes

Ratio est: quia quoties ratio gravis malitiæ vel offensæ contra legem, vel rectam rationem, seu contra charitatem Dei, vel proximi, æque reperitur in materia parva, ac in magna, toties etiam perdat culpa mortalis in materia quantumvis parva: adeoque non erit parvitas materiae excusans à mortali: atqui hoc tunc fit, quando directe læditur, vel offenditur perfectio Dei infinita, seu bonum quodvis magnum indivisibiliter, uti est vita hominis: igitur, &c.

Nulla datur ergò parvitas materiae excusans à mortali in peccatis, contra virtutes Theologicas, fidem, spem, charitatem; utpote in infidelitate, desperatione, odio, aut contemptu Dei: quia hæc directe & illicito lædunt, & offendunt perfectionem Dei infinitam. Quantulacunque enim infidelitas, & qualemcunque propositionem à Deo revelatam, vel parvi in se momenti, nolle credere repugnat infinitæ veracitati Dei: & quantulacunque despectio de Deo, repugnat infinitæ Dei bonitati ac potentia: quantulacunque odium Dei, etiam

ratione rei levissimæ repugnat quoque simpliciter ejus infinitæ bonitatis: & quicumque etiam levissimus (dummodo deliberatus) contemptus Dei, aut alicujus perfectionis divinæ, etiam indirectus, qualis est in formali inobedientia ex contemptu legis, vel præcepti cujuscunque, in formali ingratitude ex contemptu beneficii divini repugnat infinitæ Dei bonitati, sapientiæ, & æquitati: ergo semper est malitiæ mortalis. v. g. si oderis vel blasphemes Deum ob leve incomodum tibi eveniens ex lusu perduto.

151. Sed quid sentiendum de odio proximi? Resp. *odium proximi quoad abominationem personæ* semper etiam esse peccatum mortale, nulla excusante materiæ parvitate, nisi sola imperfectione actus: semper enim est eadem ratio malitiæ mortalis contra præceptum charitatis divinæ, & ipsam bonitatem divinam in proximo quoad naturam, & gratiam participatam abominari, vel averfari proximum ex displicentia personæ, tanquam indignum nostro amore vel amicitia, cum tamen & ipse nobiscum sit imago Dei capax gratiæ divinæ, & beatitudinis æternæ.

Dixi autem, *quoad abominationem personæ*. Quia secus est de odio proximi, *quoad abominationem qualitatis*: quod ad indifferentes est, & potest etiam bonum esse juxta Psalm. 118. *Iniquos odio habui*, aliud etiam est de odio inimicitia seu malevolentia; quo proximo deliberatè malum volumus. Hoc enim licet ex genere suo peccatum mortale sit, tamen parvitatem materiæ à mortali excusantem admittit, cum scilicet proximo leve, & excusante

guum volumus malum, optamus, vel gaude-
mus.

152. Nulla etiam datur parvitas materiae in pec-
catis contra virtutem Religionis: quia nimirum di-
recte vergunt in injuriam Dei ceu perfectionis
divinae.

Hinc I. In superstitione divinationis yane observan-
tia, magia, &c. semper gravis Dei injuria est, cul-
tum Deo debitum tribuere diabolo divinitatis
hosti, ac æmulo; sive id fiat cum pacto expresso, si-
ve cum implicito cum dæmone, seu cum implicita
dæmonis invocatione tantum. Ut cum quis uti-
tur scienter mediis omnino vanis & impertinenti-
bus ad causandum aliquem effectum, vel cognitio-
nem occultorum vel futurorum. Eo ipso enim,
quo uteris ejusmodi mediis vanis, & nullam omni-
no naturalem vim vel proportionem habentibus
ad causandum talem aliquam virtutem superiorem
homine: atqui non Deum; quia is tale prohibet;
non Angelum sanctum, qui nolente Deo nihil fa-
cit: ergo dæmonem, qui vel talia instituit, vel se
immiscet ad decipiendum hominem, ac cultum,
quasi divinum sibi arrogat in injuriam divinae Ma-
jestatis. Quod bene inculcandum illis, qui pro-
testantur se talibus nolle uti ope dæmonis: est enim
protestatio facta contraria, & ideo yane, ac nulla.
Nam tacita hæc invocatio (si plena deliberatio
adfit) est ejusdem rationis cum expressa: & quod
in parva vel ludicra re dæmon invocetur, per se
non minus peccatum est, quod si fiat in re magna.
Sæpe tamen contingit, ut quando res est modica,
non apprehendatur mali magnitudo; & sic po-
test

test esse veniale ex defectu animadversionis: sicut etiam. Ex ignorantia vel levitate actus.

153. II. In *blasphemia formali*: non minus semper gravis est injuria contra perfectionem Dei infinitam proferre nimiram verbum contumeliosum de Deo cum animo inhonorandi illum, etiam in re minima: Deus enim dehonatur non solum cum blasphemus ei res magnas attribuit, sed etiam cum minimas: consequenter blasphemia in ratione materiae non potest unquam esse peccatum veniale.

III. In perjurio assertorio scienter falsum jurare cum animo invocandi testimonium divinum, semper etiam est gravissima & mortalis injuria adversus infinitam Dei veracitatem: velle enim Deum instituire testem mendacii idem est, ac si & ipse Deus mentiri ac falli possit, quod etiam in re minima gravem in Deum causat injuriam, dum constituitur testis falsitatis.

IV. Denique in sacrilegiis plerisque, non tantum carnalibus (maximè in sollicitatione ad turpia facta in confessionali) verum etiam in realibus utpote in simonia, semper est gravis Dei injuria rem propriè sacram & spiritualem (gratiam Dei) effectus Sacramentorum, res ab Ecclesia consecratas temporali pretio dato vel accepto, etiam minimo, ipso facto vilem profiteri.



CONFERENTIA LXXXV.

An detur materiæ parvitas in peccatis homicidii & luxuriæ?

DE percussione, vulneratione & vindicta sicut & aliis injuriis contra proximum, non potest esse questio; quia tenuissima alapa, vel modica succensio hominis tibi importuni, etiam clerico facta, excusat te à censura canonis, si quis suadente, utique propter materiæ levitatem. De ipso autem homicidio sit

154. RESOLUTIO I. In homicidio non potest dari materiæ parvitas excusans à mortali. Ita nosse Patrit. hic n. 17. Et ratio est: quia semper creditur magnum bonum vitæ humanæ; adeoque non solum abortus factus animati quocunque brevissimo tempore, sed nondum etiam animati peccatum: mortale est, secundum omnes. Imò, in veriorum sententia vix quoque contingit parvitas materiæ in mutilatione; quia minima pars abscissa corpus valde informe reddit. Cæterum de parvitate peccati luxuriæ major omninò est controversia pro qua sit

155. RESOLUTIO II. Non tantum quoad copulam, pollutionem distillationem, seu quamcunque voluntariam effusionem feminis illicitam, verum etiam quoad delectationem veneream seu libidinosam deliberatè & directè intentam, quæsitam practicè nulla potest esse materiæ parvitas excusans à mortali; adeoque omnis impudicitia cordis, oris, aspectus, tactus, oscula, amplexus, &c. factâ causâ delectationis venereæ

M 4

captan-

captandæ sicut & omnis in illam deliberatus consensus vel complacentia, semper est peccatum mortale. Est communissima quoad *Patrit. cit. n. 18*, cui est doctrina certissima: quam latissime probat *Rebell de justitia. p. 2. l. 3. q. 19. Less. l. 4. de justit. c. 3. n. 119. Sanch. l. 5. Moral. c. 5. Laym. & Diana. Et*

Ratio est: quia omnis delectatio venerea & libidinosa ex natura sua ordinatur ad copulam seu seminationem; imò reipsa, ut bene docet Galenus, est ipsissima inchoatio pollutionis: quid enim est, nisi motus humoris spermatici per spiritus generationi servientes incalescentis, & per certas arterias ad instrumentum generationis tendentis &c. Ergò sicut deliberatè velle copulam, seu seminationem illicitam semper est peccatum mortale, ita etiam deliberatè velle eam delectationem, seu commotionem veneream in se vel in alio, semper erit peccatum mortale: & sicut in ipsa copula, vel seminatione illicita, ita & in ipsa delectatione vel commotione illicita per se ordinata, & inchoante seminationem illicitam nunquam poterit esse paritas materiæ excusans à mortali saltem practice loquendo. Confr. ex decreto Alexandri VII. Anno 1666. emanato, ubi in propositionibus damnatis 40. sic habet: *Est probabilis opinio, que dicit esse tantum peccatum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, que ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.* Ubi sine dubio sermo est de delectatione carnali, ex tali osculo directè intenta, captata, vel admissa. Unde graviter seiplos decipiunt, qui

tactus

tactus partium verecundarum dum delectationem veneream per se directe non intendunt, excusant à peccato mortali; quia tales naturâ suâ nimium ad libidinem provocant; & certè graviora sunt peccata, si fiant circa personas ejusdem sexûs, quàm diversi, quia tunc ad gravius peccatum disponunt, ut notat Sanch. l. 9. de matrim. disp. 46. n. 18. sive ex intentione agentis, captantis scilicet directe delectationem veneream, circa quascunque partes fiant, etiam alias honestas. Cujusmodi sunt tactus faciei, compressio manuum, pulsatio pedum &c. Atque tunc tanta sunt peccata quanta est intentio facientis; utpote simplicis delectationis morosæ fornicationis, adulterii, sodomix &c.

CONFERENTIA LXXXVI.

An in materia venerea indirectè tantùm voluntaria saltem, detur parvitas materiæ?

156. **R**ESOLUTIO I. admittenda est parvitas materiæ excusans à mortali in impudicitia quoad delectationem solùm indirectè voluntariam, in causa scilicet levi posita, vel non ablata, secluso consensu & periculo consensus in ipsam delectationem, pollutionem, vel alium opus turpe. Ita uterque Marchant. apud Patrit. hic. n. 10.

Ratio est: quia valde rationabile & consonum est fragilitati humanæ, quod homo sub peccato mortali, non teneatur evitare omnem actionem levem, ex qua est periculum exurgendi aliquos motus delectationis venereæ: & cum hi motus

M 5

longè

longè facillimè exurgant, ut sint mortales, omnino requiri debet majus voluntarium, quàm indirectum in causa maximè levi & de se veniali tantum. Alioquin certè oporteret condemnare peccati mortalis omnem conversationem non necessariam virorum cum feminis, juvenum cum puellis, colloquia familiaria, choreas, aliasque recreationes etiam honestas; cum in iis facillimè incurrant aspectus blandi, verba lenia, tactus, oscula, amplexus & alia hujusmodi venialia, ex quibus plerumque oriuntur motus aliqui venerei, quos tamen secluso consensu una cum veniali causâ sua meritò censemus veniales. Itaque omni culpa vacabunt aspectus, tactus, oscula, amplexus, aut *honestatis* causa pro more patriæ: aut *necessitatis* ad medendum, naturam sublevandam &c. Venialem verò solum culpam continent aspectus, tactus, oscula, amplexus levitatis vel curiositatis gratia obiter facti absque ulteriori voluntaria tendentia in delectationem veneream, etsi præter intentionem subsequatur. Sanè difficillimum esset confessariis statim peccati mortalis condemnare juvenes & procos passim aliquibus tactibus, osculis & amplexibus utentes erga puellas honestè amatas, etsi inde levem aliquam voluptatulam sensibilem captent, dummodò absit periculum consensus in venerea. Hinc ergò sequitur

157. RESOLUTIO II. Casuum cõmuniter contingentium I. oscula inter omnino solutos obiter facta, venialia sunt etsi sensibilis aliqua voluptas sequatur, seclusâ delectatione & consensu

turpi. At verò facta cum ardore & morâ ; utpote replicatis diu in ore osculis, ob morale periculum libidinis, ordinariè mortalem culpam contrahunt. Ita communis.

II. Osculari pueros ex amore teneræ infantilis ætatis, vel tangendo captare delectationem sensibilem ex mollitie teneræ carnis, secluso consensu turpi, nullum mortale, veniale tantum peccatum est. Sanch. & Jacob, Marchant.

III. Ancillæ pueros vestientes, lavantes, eorumque pudenda tangentes vel aspicientes, etsi motus sensualis exurgat secluso consensu vel complacentia turpi, aut non peccant, si ita officium exigat: aut solum venialiter, si ex curiositate faciant: mortaliter tamen peccarent, si id motus facerent ob morale periculum consensûs libidinosi.

IV. Aspicere animalia coeuntia ex curiositate tantum, seclusâ delectatione libidinosâ voluntariâ, veniale est; quia id non multum excitare solet ad libidinem. Insuper eadem animalia, præsertim minora, puta, catellos, catos, molliter tractare, demulcere, etiam eorum genitalia contrectare (res tamen pudicitiae & castitatis amatoribus meritò fugienda) ex curiositate tantum vel levitate absque impurâ delectatione, cum inde non excitetur tam vehemens delectatio, non nisi veniale esse docent Sanch. l. 9. de Matrim Disp. 46. n. 15. Dian. p. 2. tr. 17. resol. 37. addens adhuc quidpiam scdus non esse mortale, cum non sit mortale impedire generationem bruti, sicut & ipsum occidere. Sed certè omnium sensu scdum est cogitare, ne-

ne-

nedum facere. *Vide Tambur. l. 7. Decal. c. 8. §. 2. n. 5.* At verò affectu libidinoso tangere eorum membra, non tantum mortale, sed etiam spectat ad peccatum bestialitatis, tanquam actus quidam inchoatus.

V. Personæ ejusdem sexûs simul balneantes, ex curiositate vel levitate invicem aspicientes in partibus verecundis, etiam cum motu sensibilitatis (secluso consensu turpi) non sunt condemnandæ peccati mortalis: secus est de personis diversi sexus; quia tunc est morale periculum libidinis. Seipsum autem aspicere, vel etiam tangere ex curiositate, seclusâ malâ intentione, complacentiâ, & periculo consensus turpis, ordinariè veniale est: quia minor est indecentia, & minus movent propria quàm aliena, si verò necessitas aliqua vel natura comoditas ita exigat, omni culpa vacabit, *secundum omnes.*

VI. Choreas ducere, etsi aspectibus, tactibus, osculis, amplexibus solitis aliqua delectatio sensibilis captetur seclusâ semper intentione vel consensu turpi, vel nullum vel veniale tantum peccatum est. *Cajetan. V. Choreæ. Filliucus Tract. 23. c. 10. ubi n. 224.* dicit: Rustici diebus festis non sunt prohibendi à choreis, modò fiant post missam: tum quia aliter otio vacarent, quod pejus esset; tum quia fiunt pro more Regionis, & publicè coram aliis, ideoque magna ex parte aufertur libidinis occasio; tum quia videntur conciliatrices amoris & benevolentix inter adolescentes & puellas in ordine ad matrimonia. Hæc ille. *Addit. Patrit. hic n. 20.* *Experientiâ patuisse, post ab-*

rogatas illas choreas publicas, multo majora mala patrata fuisse, quàm iis permiffis.

VII. Cantare, dicere, legere turpia, peccatum est juxta intentionem facientis: si enim fiant cum intentione vel complacentiâ turpi, mortalem: si ex curiositate vel levitate, solum venialem culpam habent. At verò componentes cantiones vel libros turpes ordinariè mortaliter peccant, ob scandalum saltem aliquorum: quemadmodum etiam turpes comœdias exhibentes.

VIII. Denique scribere, mittere litteras amatorias, munera, favores similiter peccatum est juxta intentionem facientis: si enim faciant ex intentione libidinosa, vel animo provocandi alterum ad illicitam venerem mortale erit: si ex merâ levitate, joco, recreatione, veniale per se loquendo: si ad captandum vel fovendum honestum amorem in ordine ad matrimonium, culpâ vacabit. Intellige semper, *secluso periculo proprio vel alieno*. aut nisi scriptio vel pictura de se valde turpis esset, & ad libidinem provocatoria. Hæc paulò latius, quia in praxi frequentissima.

CONFERENCE LXXXVII.

An in primo præcepto Decalogi detur parvitas materiae?

158. *Patri Patritio nostro hic n. 21. est certa regula, in omnibus peccatis, quibus læditur bonum infinitum divisibile, posse dari parvitatem materiae excusantem à mortali. Quia quando bonum, quod læditur, est divisibile*


bile potens esse majus vel minus, etiam malitia peccati proportionaliter potest crescere & decre- cere, adeoque tandem fieri venialis; cujusmodi est sine dubio furtulum unius assis, levis detrac- tio, modica intemperantia &c. Quæritur ergo hic an simile aliquid contingere possit in peccatis contra primum præceptum præsertim in supersti- tionibus magicis? quare sit

RESOLUTIO: In superstitionibus magicis nulla quidem propriè datur materiæ parvitas, da- tur tamen aliqua levitas actus excusans à peccato mortali. Utpote

I. Si fiant ex simplicitate & ignorantia non cras- sa. II. Si ex merà levitate, joci, vel risus causâ nullo expectato eventu: qualia multa jocosa fieri solent in certis vigiliis, S. Thomæ, Natalis Domi- ni &c. certè non statim peccati mortalis condem- nanda: esto enim illa instituta essent à dæmone, si tamen joco, & non seriò expectando eventum u- surpentur, irrisio potius est quàm invocatio dæ- monis. III. Absque certâ fide adhibita, ex vana solùm formidine in agendis vel cavendis quando- que observare ejusmodi vana signa vel omina, v.g. ex sternutatione, auris tinnitu, cantu corvi, oc- cursu leporis &c. Item ex somniis, plerumque venialem culpam non excedunt: ut cum

aliis notat *Laym. l. 4. tr. 10. c.*

3. n. 10.



CON-

CONFERENCE LXXXVIII.

An in secundo præcepto Decalogi datur
parvitas materiæ?

159. **R**esolvitur I. Datur parvitas materiæ in vio-
latione voti: nec solum quando materia
parva est tantum partialis materia voti; ut si ex
voto recitans rosarium, omittas unam decadem;
ut si vovisses quotidie recitare unum vel tria Pater
noster, aut flectere genua coram certa imagine, &
omittas toties, quoties, non erit nisi veniale ex
parvitate materiæ. Ita DD. communiter Na-
varr. Sanch. Laym. & alii apud Patrit. cit. n. 23.

Ratio est: quia votum est privata quædam lex,
& obligat per modum legis: sed respectu legis
materia tam parva non est capax obligatio-
nis gravis sub mortali: ergo neque respectu
voti.

160. **RESOLUTIO II.** Datur etiam parvi-
tas materiæ in violatione juramenti promissorii ex-
cusans à mortali; ut si pater serio juravit se filium
ita meritum virgis castigaturum, & deinde sine
causa revocet vel omittat: Item si amico promissit
ejus convivium accedere. Ita probabiliter do-
cent D. Antonin Sotus Sylvest. Navar. Rodrig. & alii
apud Patrit. Ratio: quia quando peccatum ratio-
ne materiæ augeri & minui potest, tunc in eo ge-
nere etiam venialiter peccari potest, atque com-
munis hominum etiam prudentum persuasio est,
tantò majorem vel minorem irreverentiam Deo
irrogari, quantò major vel minor promissio Deo
jurata violatur: seu quantò major vel minor res est,
ad

ad quam confirmandam quis Dei auctoritate usus est, si postea non agat, quod promiserat: ergo hic etiam venialiter peccari potest ex parvitate materiae, ut in exemplis allatis & similibus. *Confirmatur*: quia major est obligatio voti, seu promissionis factae ipsi Deo, quam juramenti promissorii facti homini, interposito nomine, aut auctoritate Dei: sed in violatione voti datur parvitas materiae excusans à mortali, secundum omnes: ergo etiam in violatione juramenti promissorii.

161. Porro notanda est hic disparitas inter juramentum assertorium de veritate rei, & promissorium de facienda re. Quia in juramento assertorio invocatur Deus in testem veritatis aut falsitatis: veritas autem & falsitas consistunt in indivisibili: quod enim verum non est, necessario falsum est, nec datur magis vel minus falsum: ideoque Deum invocare in testem falsitatis cujuscunque semper est peccatum mortale (quod non tantum verum est in perjurio assertorio, quo scienter juratur falsum sed etiam in perjurio promissorio ficto, cum scilicet quis juramento promittit aliquid facere, quantumvis leve, non habens animum adimplendi) at verò in juramento promissorio non invocatur Deus in testem ipsius veritatis vel falsitatis, sed solum quasi in sponso rem obligationis adimplendi rem promissam cum juramento, adeò ut juramenti objectum promissorii non sit veritas vel falsitas, sed obligatio jurantis ad rem promissam adimplendam non consistit in indivisibili, sed major & minor est juxta rationem materiae majoris vel minoris momenti; consequenter etiam vio-

latio
ris cu
per
esse p

An

162. I

utpot
ris: i
omne

Rat

num c

minus

die fef

tertini

tempo

pore l

sam ju

peres a

suas v

res,

die fef

randan

parant

tondea

non ef

II.

acquo

latio

latio talis juramenti promissorii majoris vel minoris culpæ erit pro ratione materiæ: ergo non semper mortale, sed ex parvitate materiæ etiam veniale esse poterit.

CONFERENTIA LXXXIX.

An in tertio præcepto Decalogi detur parvitas materiæ?

162. **R**ESOLUTIO: in omni cultu divino datur parvitas materiæ excusans à mortali; utpote in celebratione & auditione missæ: in feriis: in jejuniis tam præceptis, quam votivis. Ita omnes. Et

Ratio est: quia in his omnibus lædi potest bonum divisibile. Adeoque, potens esse majus & minus, & tandem veniale. Quare I. Veniale est die festo in missa audienda modicam partem (præsertim in principio aut fine) omittere: modico tempore distrahi, confabulari &c. modico tempore laborare serviliter citra necessitatem vel causam justam. Item omninò excusandi sunt pauperes ancillæ, cum die festo unâ vel alterâ horâ suas vestes refarciunt: item mechanici, sartores, sutores, &c. cum quadam consuetudine die festo materiam sequentibus diebus elaborandam, sine magno labore vel tumultu præparant: item barbæ tonsores, si unum aut alterum tondeant, præsertim rusticos, quibus aliàs otium non est &c.

II. Veniale etiam est in missa, horis, oratione, ac quolibet cultu divino modico tempore distra-

Pars II.

N

hi

hi voluntariè: modicum quid omittere v.g. Gloria vel Credo in Missa, preces in horis: vel quid simile, quod non spectat ad essentialem actionem sacramenti. Porro omittere mixtionem aquæ ad vinum consecrandum mortale agnoscunt Doctores: grave enim hujus est præceptum Ecclesiæ ratione finis, videlicet mysterii singularis.

III. Imò etiam omnis cultus Dei superfluus & indebitus, sive is, quo Deus colitur, modo vel ceremoniâ, quæ de se prorsus est inanis ac impertinens ad gloriam Dei; ut non nere die Sabbathi ad honorem B. V. Mariæ, cum tamen aliàs labores ferviliter: Missam audire Sacerdotis, qui vocetur Joannes, certo candelarum numero & colore, osculari pedem calicis elevati, & similia, quæ sine scandalo vel contemptu venialem culpam non excedunt.

IV. Item in sacrilegiis realibus & localibus etiam parvitatem materiæ cognoscunt omnes; cum sanctitas rei vel loci sacri quoque bonum divisibile sit v.g. furtum modicum rei sacræ, vel è loco sacro solum duplex veniale est. Similiter levis abusus vel jocosus sententiarum S. Script. Addit noster Patris, se audivisse à viris doctis, etiam excusari jocosum illud dictum: *Stultus es, etiamsi Deum Patrem haberes*: videntur enim velle dicere, quòd Deus possit creare stultum, & sic talis non obstante, quòd solum Deum Patrem haberet, adhuc esset stultus; aut certè accipiunt Deum impropriè ac metaphoricè, quasi dicant, stultus es, etiamsi sapientissimum patrem haberes: tamen hoc dictum adedò male so-

nat, ut merito graviter reprehendendum sit ac dissuadendum à confessariis.

CONFERENTIA XC.

Recensentur breviter parvitates materie in reliquis præceptis secundæ Tabulæ.

163. **Q**uæ sunt potissimum circa injustam læsionem proximi in bonis famæ, honoris, & fortunæ, utpote I. *in iudicio temerario*; ut si temerè iudices de proximo in re levi v. g. mentiri jocosè, esse crapulatum, distractum in precibus &c. II. *In detractioe, vel contumelia*: ut si narres de altero præsentè vel absente defectus veniales, vel naturales tantum, secluso alio gravi incommodo. III. *In usura*: etsi enim usura sit, quidquid ultrà sortem mutuatam injustè accipitur, tamen minimum quid esse usuram mortalem, à ratione prorsus alienum est. IV. Maxime in furtis omnium consensu datur parvitas materie à mortali excusans; ut si homini diviti fureris unum vel alterum cruciferum. At difficultas sat magna est, quænam sit materia magna & sufficiens ad furtum mortale: & quænam sit materia parva certò excusans à mortali? quod enim parvum quid censetur respectu divitis, magnum est respectu pauperis. Quare pro resolutione distinguenda est materia furti in *absolutam*, quæ est absque relaxatione particulari ad personam ditioem vel pauperiorem: & in *respectivam*: quæ scilicet non secundum se absolute; sed cum habita relatione ad circumstantiam personæ, gravis vel levis esse possit: Itaque sit

164. **RESOLUTIO**: Materia furti gravis, &

N 2

suffi-

sufficiens ad peccatum mortale *absoluta* & respectu
 cujuscunque etiam opulentissimi, Regis, Princi-
 pis &c. sunt duo circiter ducati: *respectiva* verò ad
 conditiones personarum, est illa, quæ sufficit ad
 victum unius diei tali personæ, cui ablata est. Ita
 in terminis *noster Patrit. hic n. 26.* e. g. si à mercato-
 re valde divite fureris duos florenos circiter: à ci-
 ve mediocriter divite florenum, aut duodecim Ba-
 zios: à paupere mendico aliquot cruciferos, vel
 etiam nummos, quibus se uno die utcumque aliis-
 set. Citatur *Laym. l. 3. tr. 3. p. 1. n. 3. Bonacin. Na-
 var. Dian. & alii.* Ratio autem est: I. de *quantita-
 te absoluta*: quia sicut alia peccata Reipublicæ per-
 niciofa prohibentur graviter ut intrinsecè mala, non
 propter damnum actuale præcisè, quod afferunt,
 quando semel fiunt, sed multò magis propter dam-
 num habituale, quod afferrent sæpius repetita, si se-
 mel sine gravi culpa licerent v. g. Revelatio Sigilli
 confessionis prohibetur graviter ut intrinsecè ma-
 la, quia licet semel facta ob gravissimam causam,
 puta proditoris detegendæ, non afferret detrimen-
 tum Sacramento pœnitentiæ, afferret tamen gravil-
 simum, & ex osum redderet Sacramentum ex eo,
 quòd si vel in unico casu ob gravissimam causam
 liceret, semper metueret pœnitens, ne fortè confel-
 sarius talem causam apprehendens peccata sua re-
 velet, & sic de cæteris: atqui eadem omnino ratio-
 ne in proposito furtum prohibetur ut intrinsecè
 malum, & grave peccatum ex genere suo, non præ-
 cisè ob damnum actuale, quod afferret furando
 v. g. Principi unum vel alterum ducatum, medio-
 critei divitiū unum florenum, aut victum unius diei,
 sed

sed etiam ob damnum habituale, quod afferret sæpius repetitum, si semel citra grave peccatum liceret in tanta quantitate. Jam ergo licet revera furtum unius vel alterius ducati à principe vel alio ditissimo: unius floreni ab alio divite, semel factum eidem nullum vel saltem exiguum causaret detrimentum; causaret tamen maximum detrimentum, si semel in tanta quantitate liceret. Tunc enim ex hominum malitia, avaritiâque innata, multiplicarentur ejusmodi furta, ex quorum frequentia maximum damnum etiam ditissimis sequeretur: ac consequenter in tali quantitate assignata cenferi debet prohibitum graviter & sub peccato mortali. Secus est de furtis minoris quantitatis, ex quibus non tam facile sequitur tantum damnum, eo quòd homines sciant se sine peccato mortali posse aliquid minutum furari; quia peccatum veniale, licet minus absterreat, tamen ob minus lucrum etiam minus invitat ad illa furta minutiora.

165. II. Respectivè verò ad conditiones personarum per se notabile damnum infertur auferendo talibus eam quantitatem, quæ ad victum unius diei sufficeret, juxta modos assignatos. Quin etiam pauperi operario, qui diurno labore ad sui sustentationem plus lucrari non potest, furari unum Bazium, aut sex crucigeros, mortale erit: quia tali furto majus damnum infertur tali pauperculo, quàm diviti furando integrum florenum vel etiam ducatum. Item valde pauperi etiam aliquot nummos auferre, quibus ad victum valdè indigeret, mortale est eadem ratione. Idem dicendum de eo, qui auferret pauperi sartori acum, quam unicam

habet, nec facile potest aliam procurare: ibi enim est lucrum cessans. Ita *Navar. c. 17. n. 2. Laym. & Lug. cum & apud Patrit. n. 26.*

III. Denique constans est apud omnes, etiam, qui furatur, quantumvis minimam rem, si habeat animum accipiendi quid magnum, peccare mortaliter affectu, etsi non effectu: de quo S. Hieron. in Epist. ad Titum c. 2. non enim id, quod furto ablatum, sed mens furandi attenditur.

CONFERENTIA XCI.

Unde desumenda est quantitas magna
& parva?

166. **S**ensus quaestionis est, undenam sciri possit aliquem peccare mortaliter vel venialiter tantum 1. Lectione librorum haereticorum? 2. percussione Clerici 3. in omissione Horarum Canonicarum 4. quanto tempore liceat laborare in die festo, ut non peccet mortaliter? Quantum quis audeat comedere die jejunii in collatione vel pertina citra fractionem jejunii? Pro solutione supponendum est 1. magnitudinem & parvitatem rerum praecipitarum discendam esse ex ipsa secundum se spectata: 2. ex comparatione ad totum, quod praecipitur: 3. principaliter ex ordine ad finem praeccepti. v. g. quando quaeritur an omittere unam horam canonicam: laborare una hora in die festo, sit materia magna vel parva? considerandum est an secundum se sit quid magnum vel parvum? 2. an comparatione ad totum officium Canonicum vel ad totum diem festum, una hora sit quid notabile? 3. principaliter, an sit intentio

intento præcepti (cultui divino, & vacationi Religiosæ) multum vel parum noceat omittere unam horam, vel laborare unâ horâ.

Supponendum 2. in materia peccati mortalis, tertiam vel quartam partem cujuscunque totius, notabilem esse, adeoque mortalem, nisi ipsum totum sit exiguum: minorem autem quartâ parte non esse notabilem, sed ex parvitate materiæ fieri venialem, nisi secundum se seorsim sumpta valde notabilis sit, aut multum officiat fini intento præcepti. Pro horum clariori intelligentia pono ex Patritio nostro à n. 28. seqq. Responsiones.

De Lectione librorum hæreticorum.

167. **R**esponsio I. Perpendenda est materia lecta secundum se valde magna, vel valde parva: nam 20. folia v. g. legere, sine dubio mortale est: Titulum tantum, vel unam lineam, veniale. 2. principaliter ratio habenda est finis præcepti sub excommunicatione prohibentis lectionem librorum hæreticorum, nimirum ad cavendum periculum subversionis in fide, quod maxime timendum est in lectione librorum hæreticorum.

Unde regulariter intolerabilis est sententia Tolentianæ, unam etiam vel aliam lineam legere, sufficere ad incurrendam censuram, eò quòd perfecta hæresis etiam in uno versu contineri possit. At ad hoc rectè respondet Laym. in lege, præsertim pænali, spectari id, quod comuniter, non quod rarò contingit: communiter autem non

imminet grave periculum ex tam modica libri hæretici lectione.

Econtra nimis laxè *Sanch. Rodrig. Sa & alii apud Dian. p. 5. tr. 5. resol. 42.* integram paginam majoris voluminis hæretici pro parva materia à mortali & excommunicatione excusant. Placet ergo iudicium *Marchant. trib. Tom. 2. tr. 2. tit. 2. q. 2.* non esse hîc attendendam materialem quantitatem penes numerum linearum, vel paginarum magnitudinem, sed morale periculum infectionis ex materia, quæ legitur, contra finem præcepti. v. g. Aperit quis librum hæreticorum, & primo statim intuitu, in primo vel altero paragrapho advertit hæresin, vel errorem contra fidem, & nihilominus pergit legere etiam paucas lineas, is omninò peccat mortaliter, & excommunicationem incurrit; quia & periculo se expoluit, & contra finem legis processit.

De retentione librorum hæreticorum.

168. **R**esponso II. Etiam hîc consideranda sunt mora temporis retinendo, intentio retinentis, & principaliter finis legis eam retentionem sub excommunicatione prohibentis ob idem periculum subversionis in fide: tenentia enim dat causam ruinæ. Unde primum agnoscens quis hunc librum esse hæreticum & solum parvo tempore per aliquot horas, aut unum aut alterum diem detinet cum proposito tradendi illum postea, ex parvitate materiæ sine dubio excusatur à mortali & à censura, & accedente aliquâ rationabili causâ vel impedimento, ab omni culpâ. At verò si quis con-

conscijs hujus legis habeat voluntatem absolute retinendi librum, sanè quæcunque retentio, etiam modicissimi temporis, peccatum mortale erit, etiamsi mutatâ mox voluntate brevissimo tempore duret; quia voluntas illa peccatum mortale est, & ex illa procedit exterior retentio, & insuper tunc incurrit censuram. Ita *Suar. Tract. de fide disp. 20. sect. 2.* sed hæc probabilius negant *Sanch. Reginald. Castropal. & alii cum Dian. p. 5. resol. 43.* Quia censura non incurritur ob voluntatem retinendi, sed ob ipsam voluntariam retentionem libri hæretici contra prohibitionem & finem legis: ergo licet intentio illa interna mortalis fuerit, ipsa tamen actualis detentio tam parvi temporis v. g. unius horæ vel diei non potest censi materia gravis, & sufficiens ad peccatum mortale externum (quod solum feritur censurâ) cum id non advertatur graviter fini legis.

De percussione Clerici.

169. **R**esponso III. Si percussio externa Clerici ex se verè levis sit, v. g. tenuissima alapa, modica retusio &c. (esto etiam interna mala voluntate graviter percutiendi mortaliter deliqueris, et si intentato gravi ictu, clerico declinante solum auriculam, vel scapulam leviter tetigisti) manet materia levis ac excusans à censura Canonis. Ita cum nostro *Portello V. Excommunicatio n. 11. Dian. cit. resol. 65.* Ratio eadem est: quia Ecclesia non excommunicat propter actus internos, sed propter actus externos mortaliter malos; & proinde re-

quirit, ut actus externus sit gravis & capax peccati mortalis.

De aliis censuris & casibus reservatis.

170. **R**esponsio IV. generaliter. Quandoque actus externus propter quem lata est censura aut reservatio ob parvitatem materiae excusatur à mortali, & verè venialis est, etiam excusatur à censura vel reservatione, quidquid sit de intentione interna mala, obdatam rationem. Censura enim non fertur, nisi propter peccatum mortale externum in effectu consummatum; ut si fueris modicum quid ex Ecclesia, si obiter alloquaris monialium, vel unico passu ingrediaris monasterium monialium &c. de quibus & similibus vide *Dian.* ead. parte 5. tr. 5. resol. 46. &c.

De horis Canonicis.

171. **R**esponsio V. Omittere quamlibet horam canonicam, etiam ex minoribus, vel laudes aut integrum Nocturnum in Matutinis mortale est, secundum communem DD.

Ratio est, quia licet hora minor (Nona v. g. vel Completorium) respectu totius officii non videatur notabilis pars; tamen secundum se sumpta & spectato fine Ecclesiae, quae praecipiendo volumus, ut à clericis singulis, stas diei horis aliquid peculiaris cultus, & ratione peculiaris mysterii Deo offerretur, à quo fine notabiliter deficit, qui unam horam minorem, Laudes, vel Nocturnum unum omittit: omninò censerì debet materia gravis. *Leff. l. 2. c. 37. dub. 9. Bonac. to. 1. disp. de horis Can. p. 5. pr.*

5. prop. 1. *Tamb. l. 2. in Decal. c. 5. §. 2. n. 11.* Contra, ergò minus, quàm integra hora minor non erit pars notabilis, adeo ut nisi omittas dimidium horæ minoris vel amplius, seu quantum notabiliter non adæquat horam minorem, non eris condemnandus peccati mortalis. *Communior. DD. Less. Bonacin. sup. March. tribun. p. 2. tr. 2. tit. 3. sect. 2. q. 3.* Ratio est: quia omnes horæ canonicæ ex institutione Ecclesiæ unum unius diei officium constituunt: hinc notabilis pars omissionis, vel gravitas materiæ omissæ, non respectu singularum horarum, sed respectu totius officii conjunctim expendenda est: quantum nimirum notabiliter noceat fini ab Ecclesia intento, utpote colendi Deum officio diurno. Atqui sicut respectu totius officii, & considerato fine ab Ecclesia intento, quælibet hora etiam minor, revera est notabilis pars, ita notabiliter minus, quàm hora minor, non potest amplius cæneri pars notabilis, vel materia gravis, licet revera quid notabile sit respectu ipsius horæ minoris. Cæterum si modicam tantum partem horæ minoris recites v. g. initium Hymni, aliquot versus psalms, cæneris totam negligere; quia tam parum pro nihilo reputatur, ideò peccas mortaliter.

De Feriis.

172. **R**esponsio VI. Die Dominico vel Festo unâ horâ laborare serviliter, veniale tantum esse ex parvitate materiæ rectè sentit *Suar. to. 2. de Religione l. 2. de festis cap. 32.* maximè si labor non sit nimis servilis & fatigans corpus, ut notat *Layman.*

l. 4.

l. 4. tr. 7. c. 1. Imò communis jam sententia duas horas permittit citra mortalem culpam. *Fillius. tr. 26. c. 11. q. 1. Dian. cum Tambur. l. 4. c. 3. §. 2.* Quia nimirum labor unius vel alterius horæ respectu totius diei naturalis 24. horarum non videtur pars notabilis, aut ita efficiens fini religiosæ vacationis, ut culpæ mortalis damnari possit; plus non facile conceditur, nisi paupertas, vel alia iusta causa excuset: v. g. in Bohemia, in qua Rustici tempore messis totâ septimanâ occupati labore Dominorum suorum, negligere deberent propriam messem, nisi die Dominicâ vel festo summo manè eam clam ad proprios lares promoverent.

173. Similiter in die festo omittere in sacro audiendi introitum usque ad Evangelium: imò secundum aliquos, usque ad initium offertorii: sicut etiam post sumptionem reliquum, veniale est ex parvitate materiæ. At verò tantundem omittere tempore intermedio nemo à mortali excusabit: quia spectato fine Ecclesiæ principali, ut nimirum fideles religiosè assistant cultui divino laeuitico per incrementum sacrificium, partes illæ priores, etsi non modicæ, tanquam accessorix ad sacrificium pro modico reputantur: partes verò missæ mediæ ab offertorio usque ad sumptionem, quia totam actionem sacrificii continent, principales sunt, ideoque in iis etiam modica pars secundum se meritò quid notabile censetur. Simili ratione si Sacerdos in Missa ex negligentia omittat *Gloria* vel *Credo* partium omittere censetur, nec ultrâ culpam venialem: at tantundem omittens in S. Canone, grave quid omitteret cum culpa omninò lethali, secundum

omnes

omnes. Cæterum etiam in Canone dicendo aliquam parvitatem materiae excusantem à mortali admittunt DD. communiter; v. g. omitting nomen alicujus Sancti, vel speciale *communicantes ante vel infra actionem*: item omittere aliquam Crucem, inclinationem, genuflexionem, tunctionem rectoris, secluso tamen semper scandalo & contemptu formali.

In Jejunio:

Responso VII. Pro collatione vespertina admittit noster Patritius hic quartam partem cenae, quam quis spectat à suâ personâ, ætate, complexionem, occupatione ordinariè ad sufficientem naturam sumere solet. Hanc regulam tradunt *tract. 27. p. 2. c. 2. q. 7. Reginaldus, Layman. Tamburini.* Ut proinde, qui extra tempus refectis quartam partem solitæ cenæ sumeret citrà necessitatem vel causam excusantem, sine dubio mortaliter frangeret jejunium. Contra verò tertiam quartam partem collationis est parvitas materiae à mortali excusans, nisi fortè sæpius sumeretur; quia adæquaret collationem ipsam.

In Votis.

Datur etiam parvitas materiae v. g. qui vovit recitare Rosarium sex Decadum, si recitat duas, non videtur peccare mortaliter: quia una decas decades sunt pars notabilis, nimirum tertia decas Rosarii, quia tamen ipsum Rosarium quiddam exiguum est, si quatuor ejus decades devotè reci-

reci-

recitentur, meritò modicum censet *Tamburin. lib. 1. Decalog. c. 1. §. 3. n. 21.* duas reliquas omittere.

Deinde qui vovit non bibere vinum tali die vel tempore, & bibit unum vitriolum, Quod quidem, esto nunquam per se, quandoque tamen per accidens fieri posse monet cautè Patritius 1. procm. c. 5. sect. 2. n. 30. circa fin. puta ob vitandum periculum peccati &c. Ita *Sanch. lib. 4. moral. cap. 12. num. 21.*

Denique in voto vel juramento non ludendi, admittenda est parvitas materiæ à mortali excusans; quia in virtute talis voti vel juramenti non includitur voluntas vitandi ludum in modica quantitate, v. g. unâ horâ sine periculo excedendi, in modica pecunia, & sine periculo incalescendi &c. sed hic etiam spectanda est intentio voventis.

CONFERENTIA XCII.

An & quomodo?

176. **S**ensus quæstionis est, an & quomodo peccatum ex genere suo veniale, fiat hic nunc in individuo mortale?

RESOLUTIO : Peccatum ex genere suo veniale fit mortale in individuo his fere modis. 1. Ex conscientia erronea. 2. Ex fine vel effectu malo. 3. Ex periculo. 4. Ex scandalo. 5. Ex contemptu: & denique ex ultimo fine constituto, *communis doctrina.*

Prima pars patet ex dictis supra de conscientia erronea: Altera de fine aut effectu malo inde constat; quia si quis leviter vel officiosè mentiatur

obtinendam fornicationem, utique mendacium de
 se veniale fit mortale ex fine: quemadmodum
 etiam *ex effectu malo*, seu gravi detrimento proximi,
 vel sui ipsius præviso: ut si quis ex levitate garriat,
 sive quid modicum furetur, unde gravissimas sus-
 piciones, odia, inimicitias, jurgia &c. oritura prævi-
 det, vel prævidere deberet, mortaliter utique pec-
 cat; cum sit voluntaria causa istorum gravium in-
 commodorum sibi saltem indirectè voluntario-
 rum. Patet 3. *de periculo* ex illo Eccl. 3. *Qui amat*
periculum, peribit in illo. Ut si excedendo in potu,
 etsi venialiter tantum, certò prævideas te inebrian-
 dum, horas omisurum, in fornicationem, aliudve
 peccatum lapsurum, ut sæpius expertus es. Pa-
 tet 4. *de scandalo.* Sic enim levitates, etsi de se ve-
 niales, Religiosi vel Clerici coram sæcularibus ex-
 ceptis, inde graviter scandalizandis, evadunt mortales, se-
 cundum omnes. Denique *de contemptu & ultimo*
sine, inde probatur: quia quæcunque transgressio
 legis vel præcepti etiam in materia levissima, &
 veniali, ex formali contemptu legis vel præcipien-
 tis, semper est peccatum mortale formalis inobe-
 dientiæ. *De ultimo sine*, quando scilicet in veniali
 peccato constituitur ultimus finis, ejusmodi pec-
 cato mortalissimè, non est qui dubitet: cum quis
 propter vanam gloriam assequendam, vel lusu
 continuando, paratus est peccatum committere,
 gratiâ & amicitia Dei privari. Atque quo vilior
 est, propter quam quis paratus est Deum offen-
 dere, eò gravior est injuria & contemptus infinitæ
 bonitatis & majestatis divinæ.

CONFERENTIA XCIII.

An peccatum veniale possit prohiberi
sub mortali?

177. **R**ESOLUTIO I. Peccatum veniale *per se* non potest prohiberi sub mortali. Ita Patrit. n. 36. Ratio verò est: quia accedente novo divino vel humano præcepto, materia in se minimè mutatur: ergò actus, qui secundum se & circumstantias suas omnes omninò levis ac venialis est, ratione solius novi præcepti non potest fieri mortalis. Deinde quia ad omnem legem vel præceptum essentialiter requiritur, ut sit honesta, iusta & rationabilis: at verò rem omninò venialem velle prohibere sub mortali esset omninò injustum, irrationabile ac inconueniens; quod Deo repugnat, & hominem dedecet: igitur &c. Unde noster *Alphonsus à Castro* lib. I. de lege pœnali c. 5. meritò reprehendit prælatos Regularium, qui rem ita levem v. g. silentium, tardum accessum ad chorum, unius fructus vel lactuæ comestionem &c. præcipiunt, prohibent per obedientiam, vel sub excommunicatione. Excipe tamen nisi accederet contumacia & contemptus. Tamen enim lex vel præceptum superioris de re levi sit, gravis tamen oriatur obligatio & culpa transgressionis, quando post superioris admonitionem repetitam contumacia accedit, non sine contemptu implicito. Ex quo sequitur

178. **R**ESOLUTIO II. *Per accidens* autem potest res levis præcipi vel prohiberi sub gravi obligatione. Patet, quia sæpissimè fit, quòd materia
secun-

secundum se & ex objecto omnino levis, imò indifferens, per accidens tamen ratione finis, quatenus scilicet refertur ad bonum communitalis, & pacem & disciplinam, famam servandam, scandala & pericula peccati cavenda, fiat planè materia gravis, & capax tantæ obligationis ut justè sub mortali, aut sub pœna excommunicationis, vel aliâ graviori prohibeatur. Sic lex Ecclesiastica sub pœna excommunicationis latæ sententiæ justissimè prohibet detentionem & lectionem librorum hæreticorum: quia quamvis detentio simplex, vel modica lectio libri hæretici per se non sit materia gravis, est tamen detentio incentivum lectionis, & etiam modica lectio potest hæresis veneno inficere, ideo per accidens ratione periculi efficitur materia gravis & capax tantæ culpæ. Similiter in SS. Religionibus justissimè sub peccato mortali per S. obedientiam, quandoque etiam cum reservatione prohibetur ingressus in cellam altius: scribere vel recipere litteras sine scitu superioris: ingressus in certas domos: bibere vel unicum haustum in domibus sæcularibus, ubi habentur monasteria &c. Neque obstat, quòd in particulari casu respectu hujus personæ non sit proximum, vel ullum omninò periculum peccati vel scandali; quia lex fertur ad bonum commune omnes concernens: & ad avertendum malum commune, seu ad tollendam omnem occasionem mali generaliter respectu omnium, & non ratione certæ personæ; ideoque omnes in comuni obligat. Ut ex comuni benè notat Marchant. Tribun. p. 2, tr. 1. tit. 8. q. 3. Reg. 1. in fine.

Pars II.

O

Li

Licet enim non sit periculum in illo casu, adell
tamen periculum generaliter.

CONFERENCE XCIV.

An & quomodo peccata venialia multipli-
cata constituent peccatum mortale?

179. RESOLUTIO I. Peccata venialia multi-
plicata, tandem disponunt ad mortale. Ita
fatentur omnes cum S. Thoma 1. 2. q. 88. a. 3.

Ratio ex dictis patet: quia peccatum veniale est
veluti spiritualis languor & infirmitas animæ, quo
nimirum fervor charitatis, & gratiæ, quæ est spi-
ritualis animæ vita, languescit & debilitatur: ergo
quo magis multiplicatur, eò magis disponunt ad
mortem spirituales animæ per peccatum mortale
facile incurrendam, juxta illud Eccl. 19. qui spernit
modica, paulatim decidet. Confr. ab experientia,
quæ notum est, eum, qui facilis est in multiplican-
dis venialibus, paulatim declinare ad mortalia: sic
enim assuetus furtis venialibus, tandem audet ma-
jora & mortalia: incautus in aspectu, lectione,
locutione, tactu turpi, sensim declinat in deterio-
ra. Item assuetus multiplicare mendacia, decli-
nat in perjuriam: deditus potui vel lusui, devenit ad
flagitia.

180. RESOLUTIO II. Peccata venialia,
quæ non habent moralem aliquam connexionem
in materia, vel effectu, quantumlibet multiplicata
in infinitum, non possunt fieri peccatum mor-
tale. D. Thom. cit. a. 4. & Scot. in 3. d. 38. q. 1.

Ratio est, quia sola multiplicatio non variat
propriam rationem peccati in aliam rationem: sed
ratio

ratio peccati mortalis omninò diversa est à ratione peccati venialis: Nam peccatum mortale, ex eo, quod sit offensa Dei, & aversio à Deo summo bono est simpliciter quodammodo malitiæ infinitæ, ideoque meretur pœnam æternam: peccatum vero veniale, cum non aversio à Deo simpliciter, finita solum, & levis est malitiæ, pœnamque temporalem ac finibilem meretur; at finitum quantumlibet multiplicatum nunquam adæquat infinitum; quia finiti ad infinitum nulla proportio; ergò peccata venialia quantumlibet multiplicata etiam in infinitum, ratione solius multiplicationis nunquam sicut peccatum mortale; nunquam adæquabunt unum peccatum mortale in ratione offensa Dei; quia nec omnia simul avertunt à Deo ultimo fine, sicut unum tantum peccatum mortale. Itaque verba otiosa, mendacia jocosa & similia venialia quotidie millies repetita, nunquam per totum annum, nunquam per 100. annos efficiunt peccatum mortale; quia illa venialia omninò disparata sunt, absque omni morali connexionem in materia vel effectu aliquo: hinc 181. Sequitur I. Clericum ex negligentia vel incuria quotidie omittentem aliquot versus, aut unum vel alterum Psalmum in officio divino: Opificem omnibus diebus dominicis & festis per horam circiter serviliter laborantem: jejunantem per totam quadragesimam quotidie modicum extra refectionis tempus sumentem &c. quantumvis per totum annum, vel quadragesimam notabilis quantitas omissorum Psalmorum; laborum servilium: ciborum extra mensam sumptorum,

concreſcat & coacervetur, ſemper tamen toto anno ſolum peccare venialiter, & nunquam mortaliter. Intellige *per ſe*: ſecluſo ſcilicet ſcandalo, contemptu, periculo, aliave malitia. Sic *Suarez, Vaſq. aliique cum Sanch. l. 1. moral. 5. 4. Laym. l. 1. tr. 3. c. 7. n. 4.* Quia nimirum tales actus non habent ullam mortalem connexionem per diſtinctionem, cum eorum obligatio cum quolibet die extinguitur.

182. Sequitur II. Qui vovit toto anno, ſingulis aut certis diebus (puta, dominicis, veneris aut Sabbathi) dicere *tria Pater, & Ave*: dare modicam eleemoſynam, vel ſimile opus bonum de ſe exiguum præſtare, idque determinatim, ita ut quælibet oratio, vel eleemoſyna, vel ſimile opus bonum cujuſlibet diei onus ſit (excluſa intentione omiſſum uno die, ſupplendi altero) eſſi toto anno omittat orationem illam, vel eleemoſynam, ſemper peccat venialiter tantum. Ita DD. cit. & ratio iterum eſt: quia materia ejuſmodi voti ex ſe levis eſt & inſufficiens ad peccatum mortale: neque per plures dies omiſſa ullam moralem connexionem vel continuationem fortitur, cum ſit determinata ad ſingulos dies: ergo neque per plures dies, neque per totum annum omiſſa unquam peccatum mortale conſtituet.

183. Porrò aliud dicendum eſſet, ſiquis talia voviſſet cum expreſſa intentione ſupplendi alio die, quod priori omiſſum eſt, aut ſiquis una principali intentione voviſſet orare 300. *Pater & Ave*. dare pauperibus 300. denarios &c. poſtea vero modificando actualem executionem, vel diſtribu-

tatur, repetitis vicibus semper aliquid modicum edit vel laborat. Ratio est, quia, qui habet propositum proximo nocendi in re gravi, peccat mortaliter; & media semper participant malitiam finis intenti: sed talis habet ac retinet semper propositum nocendi proximo in re gravi: & singula furta minuta procedunt ex illo proposito tanquam ejus continua executio, & singula tanquam media ordinantur ad acquirendam rem alienam notabilem, ut finem moraliter malum: ergo talis singulis furtis minutis peccat mortaliter; non tamen committit tot distincta furta mortalia, sed unum tantum; quia omnia furta minuta simul sub una intentione principali uniuntur, tanquam continua una executio illius intentionis lethalis.

184. Unde judica peccasse eum mortaliter, qui mensuras & pondera modicè falsificando, vino aquam, aliisque mercibus deteriolem materiam miscendo, notabile lucrum collegit: item qui alienas vineas circumcurfando uvarum multiplicavit pluralitatem. Quia in his casibus unum est malignum propositum circa objectum grave & mortale. Verum non tam facile judicabis mortaliter peccasse alium, qui hodie ab uno non adeo divite duos Bazios furatus est, absumpsitque ac deinceps abstinere proposuit: nihilominus post aliquot dies iterum nactus occasionem alios duos Bazios eidem vel alteri abstulit: & eodem modo sæpius post propositum abstinendi ad summam unius floreni pervenit, quia talis non unum propositum retinet: unde nec unum peccatum committit, sed plura venialia; nisi demum perveniat ad quantitatem valde

nota

notabilem duorum vel trium florenorum : tunc enim peccatum mortale non effugiet, si non ratione ablationis (quia forte non advertit) saltem ratione injustæ detentionis sive non restitutionis.

Similiter qui sæpius iterat mendacia jocosa, leves detractiones, levia convitia, vexatiunculas &c. advertens tandem alium, vel alios excitari ad gravem iracundiam, jurgia, lites, scandala &c. peccabit mortaliter ratione mali effectûs causati, licet per mera peccata venialia.

185. DICES I. Juxta primam resolutionem multiplicata venialia nunquam faciunt mortale. *R. distinguendo.* Si sint absque omni connexione ad invicem in materia, vel effectu causato, *concedo* : si autem sint ita connexa, ut in exemplis allatis, *nego*. Neque enim tunc venialia propriè sunt unum mortale, sed ultimum tantum, quod secundum se esset veniale, hîc & nunc connexum cum præcedentibus fit mortale.

DICES II. Ultimus actus furti v. g. est ejusdem rationis cum præcedentibus : ergo erit etiam venialis sicut præcedentes : *R. distinguendo antecedens* : est ejusdem rationis ex objecto & per se, *concedo* : ex circumstantia & per accidens, *nego*. Ratione enim connexionis cum præcedentibus actibus habet ultimus actus aliquam circumstantiam completam materiam, & damnum notabile, quam non habent actus priores.

DICES III. Ultimum furtum non plus nocet, quam præcedentia : ergo omnia sunt tantum venialia. *Dist. iterum antecedens.* Non plus nocet secundum se sumptum, *concedo*, ut est conjunctum

Etum cum præcedentibus: *nego*. Nam ultimo furto minuto auferitur integer talerus, vel ducatus, qui nondum erat ablati furis præcedentibus.

DICES IV. Quomodo ergo salvabuntur famuli magnatum continuo auferentes, malè impendentes vel consumentes aliqua modica, & nunquam restituentes? *R.* Illos excusari à mortali & onere restitutionis, partim per in advertentiam; partim quia Domini Magnates in his non censentur valde inviti.

CONFERENTIA XCV.

Utrum furta venialia multiplicata facta ab eodem diversis fiant peccatum mortale?

186. **E**Xtra controversiam est, cum quis ex directâ & formali intentione notabilem summam congregandi, furatur à diversis modica, peccare mortaliter, & obligari ad restitutionem: quia talis intentio est indubiè peccatum mortale, ex qua singula sequentia furta minuta, tanquam continua illius executio, eandem malitiam moralem participant: & nunc domini quàm maximè censentur inviti. An autem etiam peccet mortaliter, qui absque ejusmodi intentione principali magnam quantitatem congregandi, à diversis furatur modica, usque ad notabilem summam scienter congregentem sunt *pro parte negativa N. Medina, Angelus, Navarr. Tolet, & alii apud Patrit. hic n. 48.*

187. **RESOLUTIO** sic *affirmativa*: longè verius est, talem tandem peccare mortaliter. Ita *Patrit. cit. referens Less. l. 2. de just. c. 12. dub. 7. Molin. Sanch. Laym. Lug. & alii.*

Ratio

Ratio est: quia licet talis minuta furando à diversis Dominis non inferat notabile damnum singulis, seorsim & actualiter; infert tamen notabile & grave damnum omnibus collectivè, seu ipsi communitati vel reipublicæ, saltem habitualiter; quatenus nimirum si talis modus furandi non esset graviter prohibitus, maximæ sequerentur incommoda & inconvenientiæ contra bonum commune & indemnitate civium. Si enim cuilibet citra peccatum mortale licet tali modo ditescere, seu furtim magnam copiam congregare ex alieno, quæ foret facies Reipublicæ? quæ mores? quæ securitas? Deinde sequeretur posse aliquem sine peccato mortali in venditionibus uti ponderibus & mensuris modicè falsificatis & minutis: quòd tamen in omni Republica bene instituta meritò gravissimè prohibitum est. Item sequeretur non peccate mortaliter eum, qui ex granario vel cellaria totius communitatis furatur magnam quantitatem, aut qui sine justo titulo tributa seu gabellas minutas exigeret à populosa communitate &c. quia talis singulos leviter tantum læderet; quæ tamen omnia sunt absurda: igitur &c. Advertit tamen hic Patrit. cit. ex Molin. Sanch. Lugo & Laym.

I. Universaliter, sive quis furtis minutis furetur ab eodem, sive à diversis, ad contrahendum peccatum mortale, majori quantitate opus est, quàm illa, quæ simul ablata constituerent peccatum mortale. Quia scilicet Domini non sunt tam inviti propter furta successivè, seu per intervalla facta, quàm propter furtum notabile simul factum: & ordinariè non tantum damnum infert.

○ 5

H. Mz-

II. Major item requiritur quantitas, si plura furta minuta diversis ac pluribus fiant, quàm si eidem: quia tunc omnes & singuli non tam grave damnum patiuntur, actualiter & communiter minus inviti sunt; ita quidem, ut *Molin.* duplo vel adhuc majorem quantitatem requirat in furtulis diversis dominis, quàm uni factis. Unde ait *Laym.* eum, qui à triginta mercatoribus singulos Bazios auferet, non peccaturum mortaliter, bene autem, si ab eodem.

CONFERENTIA XCVI.

Quid dicendum de eo, qui vult committere omnia venialia, & sola mortalia vitare?

Sanch. l. 1. moral. c. 5. n. 4. Layman. l. 1. tract. 3. c. 5. n. 7. & alii apud ipsos docent, talem peccare mortaliter, quia qui vult se exponere periculo peccati mortalis, ille peccat mortaliter: sed qui vult committere omnia peccata venialia, vult se exponere periculo peccati mortalis, cum venialia sint dispositio ad mortale: igitur &c. Unde est illud celebre S. August. tract. 12. in Joan. minuta plura occidunt. Cæterum quia supra ab initio hujus materiæ jam resolutio data est, ex peccatis venialibus etiam infinitis per se non fieri mortale, ideò sit

188. RESOLUTIO. Probabilius est, eum, qui vult committere omnia venialia, per se non peccare mortaliter. Ita *Granada, Salas, Castropal. tom. 1. tract. 2. disp. 2. p. 9. Tamb. & alii.*

Ratio est, quia malitia actûs interni sumitur ab objecto, prout proponitur ab intellectu: sed ob-
jectum

jectum hujus internæ voluntatis sunt solum omnia peccata venialia, & nulla alia malitia proponitur ab intellectu, &c. Ad rationem in oppositum verum non est, venialia semper ita esse proximas dispositiones ad mortale, ut quis volendo multiplicare venialia, eò ipso debeat censi velle aliquod mortale; quia videmus plures, qui de venialibus non multum curant: at quoad mortalia vel ipsum nomen abhorrent: itaque contraria sententia, & verba D. Augustini intelligenda sunt, venialia posse fieri mortalia per accidens juxta modos explicatos.

DE PECCATIS INTERNIS.

Quia de peccatis externis oris & operis præter hæc dicta hinc nihil speciale dicendum superest, multa verò de peccatis internis seu cordis, ideò de his fit

CONFERENTIA XCVII.

An motus primo primi, & secundo primi sint peccata?

189. *M*otus primo primi sunt, qui ex apprehensione objecti convenientis, vel disconvenientis excitantur naturaliter in appetitu sensitivo, vel ipsa voluntate, ante omnem tamen advertentiam vel deliberationem rationis superioris: nam sicut ex imaginatione seu apprehensione sensitiva objecti convenientis vel disconvenientis, ob naturalem subordinationem potentiarum, statim movetur intellectus ad agnoscendum vel cogitandum idem objectum, sub eadem ratione convenientis vel

vel disconvenientis sensibilis præcisè, id est, secundum rationem inferiorem; ita etiam ex motu appetitus sensitivi, v. g. delectationis vel tristitiæ, ob eandem sympathiam potentiæ, statim solet moveri voluntas ad similes motus delectationis vel tristitiæ, circa idem objectum & secundum eandem rationem convenientis vel disconvenientis sensibilis, id est, secundum portionem inferiorem. Quamdiu tamen intellectus non advertit ad eos motus secundum rationem superiorem, quatenus scilicet sunt mali, inhonesti aut prohibiti, tandiu manent *motus primò primi*. Hi ergo cum nullo modo sint voluntarii, sed omnem voluntatis liberum assensum, omnemque advertentiam ac deliberationem rationis superioris præveniant, nullo modo peccata esse possunt: nullo enim modo est in potestate voluntatis, quin vel ex actibus sensuum externorum, & phantasiæ, vel ex naturali dispositione qualitatum, vel etiam operante diabolo in sensualitate, & ob naturalem connexionem ac sympathiam etiam in voluntate secundum portionem inferiorem excitentur vel continuentur: etiam post advertentiam, vel deliberationem rationis superioris, ipsa voluntate maxime nolente secundum portionem superiorem: atque ita tantum abest, ut motus illi peccata sint, quin sint materia maximi meriti.

190. Porro *motus secundò primi sunt*, qui appetitu sensitivo vel ipsa voluntate excitantur, cum aliquali quidem, imperfecta & semiplena advertentia, ac deliberatione rationis superioris, qualis ferè est in semidormientibus, qui licet malitiam mo-

tus

tus vel actus sui aliquo modo advertant, non possunt tamen perfecte attendere ad regulas recte rationis & honestatis, ut plene & perfecte judicent esse malum vel inhonestum, quod agunt vel quo occupantur. Hi ergo motus secundo primi, etsi jam subsint aliquali & semipleno dominio voluntatis, ut ea teneatur illos implere, ne facta deliberatione ad plenum consensum pertingant; quod licet voluntas negligat, & complaceat vel consentire videatur, tamen ob imperfectionem advertentiae & deliberationis non potest esse perfectus & liber consensus in malum, utpote non sufficienter propositum, ideoque non nisi leviter peccari censeri potest.

191. RESOLUTIO: Motus, qui in sensualitate praeveniunt simpliciter omnem intellectus advertentiam, omnemque voluntatis consensum, non possunt habere rationem peccati proprie dicti. Ita communis contra Cajet. Sor. & alios apud Vasq. 1. 2. 2. disp. 106. a. 2. & 3.

Probat aut ex conc. Trid. sess. 5. in Decret. de peccat. original. ubi definit concupiscentiam non nocere non consentientibus: atqui si motus sensualitatis secluso voluntatis consensu essent peccata, utique nocerent non consentientibus. Et ibidem supponit concilium tanquam certissimum, parvulum ante usum rationis non posse peccare: sed si motus sensualitatis omnem rationem praevenientes essent peccata, cur non etiam pueri ante usum rationis possent peccare? deinde S. Augustinus pridem allegatus saepius constanter asserit, omne peccatum necessario esse voluntarium.

rimm

rium, ita quidem, ut *si voluntarium non sit, peccatum non sit*: ergo secundum ipsum motus omnino involuntarii, omnem rationem prævenientes, non possunt esse ullo modo peccata.

Dices I. Idem Sanctus *l. 5. contra Julian. Pelag. c. 3.* concupiscentiam vocat peccatum, non proprie & formaliter, sed improprie, & originaliter, vel causaliter; quia nimirum ex peccato primorum parentum originem trahit, & ad peccatum trahit, si mentem superet &c. Nam sic seipsum pulcherrime explicat *l. de nuptiis & concupiscent. c. 23.* dicens de concupiscentia. *Vocatur peccatum, quia peccato facta est, cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum*: sed contra

Dices II. Quamvis homo, exortâ jam apprehensione objecti mali, motum sensualitatis seu appetitûs omnino cohibere non possit, potest tamen impedire, ne talis cogitatio in animo exoriat, occupando se aliis cogitationibus bonis: ergo quando negligit impedire, cum posset & deberet, motus appetitûs in malum indirectè voluntarius evadet, & ideò peccatum saltem veniale. R. Id non esse contra resolutionem: tunc enim talis motus non prævenit omnem rationem.

CONFERENTIA XCVIII.

An motus deliberati admissi sint mortales?

192. **U**T statum quæstionis capias sciendum est, voluntatem circa motum v. g. venereum ratione jam plenè advertente, & proponente

nente ejus malitiam, se posse quadrupliciter habere. I. Sic, ut refugiat & positivè resistat, & mentem alio divertere conetur. Et in hoc statu, etsi motus totis horis duret, tantum abest, quòd homo peccet, quin præclare mereatur. II. Habitâ quidem displicentiâ simplici ac nollesitate talis motus, atque ita consensum negando, ejusque periculum excludendo tamen vel non vel remissè nimis ac negligenter resistendo, cum facile posset, & nulla justa causa permittendi tales inordinatos motus subsit, tunc saltem peccabit venialiter. III. Merè negativè se habendo, & permisivè (suspendendo actum contrarium) ac permittendo motum impuræ delectationis; & sic utique peccabit mortaliter ob periculum consentiendi. IV. Sic, ut voluntas plenè & positivè consentiat, eaque delectatione frui velit, & tunc certò erit peccatum internum consummatum pro ratione materiæ mortale vel veniale. His præmissis sit

RESOLUTIO : Motus omninò deliberati, qui post plenam deliberationem, intellectu secundum rationem superiorem jam plenè advertente ac proponente malitiam, à voluntate pleno ac libero consensu admittuntur, in materia mortali v.g. odii, vindictæ vel libidinis, sunt certò peccata mortalia. Ratio est, quia voluntariè tendunt in objecta mortalia. Quòd si autem ejusmodi motus deliberati sint, indirectè tantum seu interpretativè voluntarii, scilicet in causa posita vel non ablata v. g. turpia cogitando, aspiciendo, legendo, loquendo, audiendo, tangendo &c. unde vel jam de facto sentis
 oriri,

oriri, vel oriturum prævides motum delectationis inhonestæ; tunc si causa posita vel non ablata licita sit, vel venialiter tantum mala, & absit periculum consensûs, etiam motus illi liciti, aut venialiter tantum mali erunt; ut puta si exerceas talem actionem ob causam honestam, necessariam, utilem (studendo, confessiones audiendo, mendando partes genitales &c.) tunc motus illi excluso consensu directo, culpâ vacabunt. Aut si exerceas talem actionem ex curiositate, levitate, aut joco, & iterum absit periculum consensûs, motus illi venialem culpam non excedent. Excipe nisi actiones illæ secundum se & ex objecto essent valde turpes, & ad libidinem provocantes, seu notabiliter influentes in commotionem veneream: tunc enim sine justâ causâ eas exercere seu non desistere, mortale est secundum omnes: si denique advertas periculum adesse proximum consentiendi in ipsum motum, vel opus turpe, & nihilominus pergis, vel non abrumpis actionem, censeris interpretativè omnino consentire in peccatum & peccare mortaliter, secundum omnes.

CONFERENTIA XCIX.

Motus deliberati permissi an mortales?

193. **R**ESOLUTIO. Motus deliberati pure permissi, sunt peccata mortalia, nisi voluntas saltem eliciat nollicitatem seu simplicem displicentiam, *Patrit. n. 14.* hic citans Sanch. & Laym.

Ratio est: quia voluntas si nullum omnino eliciat

elicat actum contrarium motui circa objectum malum, deliberatè & perfectè propositum ac valde inclinans ad consensum illicitum, moraliter est exposita proximo periculo consensûs: ergo ad evadendum hoc periculum peccati mortalis, voluntas ad minimum debet habere actum contrarium nolletatis & aversionis à tali motu; qui licet inefficax sit ad reprimendum ipsum motum, est tamen efficax ad cõhibendum, vel impediendum liberum voluntatis consensum, quippe cui directè opponitur. Sicque habito tali actu contrario nolletatis seu displicentiæ simplicis, voluntas non tenetur sub mortali positivè resistere illis motibus illicitis, sed potest eos permittere, tanquam insufficientes ad inclinandam voluntatem ad consensum, dummodò interea absit periculum pollutionis.

Dixi: *Voluntas non tenetur sub mortali positivè resistere*: quia si id facile possis, nec habeas justam causam eos permittendi (v. g. ab equitando desistere) peccatum veniale est, ut omnes fatentur: nullum autem peccatum tibi erit, si habeas justam causam tales motus permittendi cum aliis equitando. Quare consultissimum remedium suggerit Patrit. cit. n. 16. animum divertere ad alia objecta non mala, præsertim quæ te multum afficiant: quod ipsum erit indirectè positivè resistere, sanctum ac laudabile.

CONFERENTIA C.

De propositis & desideriis malis absolutis.

194. RESOLUTIO. Proposita & desideria absoluta rei malæ sunt semper mala; ut si

Pars II.

P

pro

proponas vel desideres *machari, furari, occidere*.
item in die jejunii *vesci* carnibus, cœnare &c. Ita
omnes.

Ratio est evidens : quia actus internus habet
suam bonitatem & malitiam ab actu externo, tan-
quam suo immediato objecto : atqui propositum
vel desiderium absolutum & efficax tendit
in actum externum ut fiendum circa suum objec-
tum à parte rei, secundum omnem suam malitiam
cognitam : neque potest abstrahere à malitia vel
prohibitione ulla actus ; sicut ipse actus, v. g. oc-
cidere, vel comedere carnes, hîc & nunc non posset
feri, nisi malus & prohibitus : ergo illa proposita
vel desideria semper sunt mala pro ratione mate-
riæ. Unde in eorum confessione semper aperienda
sunt omnes circumstantiæ in confessione ipso-
rum actuum necessariò explicandæ. E. g. Pro-
posui vel desideravi peccare cum conjugata, nio-
niali, consanguinea : occidere Patrem, Fratrem,
Clericum : furari rem sacram in tanta quantita-
te &c. Cum enim illi actus interni efficaces ten-
dant in actum externum, ut finem & terminum,
semper totam ejus malitiam participant. Idem
dicendum de gaudio vel delectatione ex re illicita
jam patrata ob eandem rationem. Porro intelli-
genda est resolutio de propositis & desideriis effi-
cacibus rei malæ pro tempore præsentis, dum scilicet
mala est : sic enim illicitum non est die veneris
habere propositum vel desiderium comedendi
carnes die dominica : vel desiderare uxorem pro-
ximam post ejus mortem, quando libera erit à lege
viti.

CON-

CONFERENTIA CI.

De propositis & desideriis conditionatis.

195. **R**ESOLUTIO I. Licita sunt proposita & desideria conditionata sub conditione revera auferente malitiam actus propositi per intellectum, & reipsa non subsistente: idque non tantum in iis, quae solo jure positivo prohibentur, ut vellem hodie comedere carnes, nisi esset dies veneris; sed etiam de iis, quae sunt intrinsece mala, ita tamen, ut in aliquo statu, vel casu possint esse licita & bona; si nimirum considerentur sub conditione talis status vel casus: ut vellem praedari, si Deus permitteret: ducere hanc in uxorem, si antea uxoratus non essem &c. Sanch. lib. 1. moral. c. 2. n. 24. Vasq. Laym. & comm.

Ratio vero est: quia actus isti inefficaces tendunt in actum externum, non ut finem vel terminum fiendum a parte rei, sed praecise ut in objectum propositum per intellectum; ideoque ab eo non plus malitiae sumunt, quam proponatur per intellectum; sed intellectus proponens objectum sub tali conditione auferente omnem malitiam actus, nullam in actu malitiam ponit, ut patet: ergo nullam inde sumit malitiam ejus desiderium vel voluntio conditionata & inefficax. Unde etsi tibi iure naturae interdicti sint isti actus externi v. g. Religioso ducere & cognoscere uxorem: quia tamen non desideras absolute & efficaciter, sed solum sub conditione, sufficit tibi matrimonium revera cogitari posse in eo statu, quo tibi interdictum non esset. Caterum negari non potest, actus ejusmodi

nisi bono aliquo fine vestiuntur, ordinariè ut minimum otiosos esse, & venialiter malos; imò Sa. P. *peccatum: vocat periculosos: & Cajet. eodem V. fatuas & diabolicas tentationes.* Proinde maxime cavendum in materia luxuriæ, ne quis ejusmodi actibus, quantumvis conditionatis & inefficacibus, diutiùs immoretur & seriò complacet non sine periculo culpæ mortalis. Et ideo fit

196. RESOLUTIO II. Illicita sunt omnino desideria conditionata, omnésque volitiones, vel leitates, ac complacentiæ simplices de rebus quibusvis malis, sub tali conditione, quæ nullo modo aufert malitiam actûs, etiamsi à parte rei poneretur, ac poni posset: Ita *Sanch. & Laym. cit.*

Ratio est: quia licet consensus conditionatus nihil ponat in rerum natura ex parte objecti voliti, in voluntate tamen ponit actualem affectum committendi aliquod peccatum, exceptâ solâ illâ conditione, quæ non aufert malitiam peccati; ac proinde eadem culpa erit velle illud peccatum cum tali conditione: at tunc esset sine dubio volitio mortalis: ergo & nunc.

Hinc sequitur sequentes omnes peccare mortaliter, quorum unus dicit, *frangerem jejunium, si carnes vel cœnam haberem: alter vellet inebriari, scortari, machari, si pecuniam haberet vel occasionem.* Tertius *adulterium cum hac committeret, nisi infamiam vel penam timeret.* Quartus *vellet fornicari, si religiosus vel Sacerdos non esset,* omnes enim hi habent actualem affectum ad talia peccata.

197. Petes, quid sentiendum de marito dicente, *si Deus vellet uxorem meam mori, plurimum gaude-*

rem? R. Si maritus significat *affectum antecedentem* ad divinam voluntatem, quia scilicet vellet Deum velle uxorem mori, idem erit, ac optare ipsam mortem uxoris; ideoque, si injustè, peccaturum mortaliter; si verò significat *affectum solum consequentem* ad voluntatem divinam: quòd nimirum postquam Deus voluisset uxorem mori, cum gaudio vellet voluntatem suam conformare cum divinità de se actus optimus est, secluso tamen omnimagno affectu in uxorem, & complacentia de malo ipsius. Atque hoc omnino securum est, si uxor cara sit, suspectum valde, si sit exosa. Ut notat Sanch. l. I. moral. c. 2. n. 29.

CONFERENTIA CII.

De delectationibus morosis.

198. **D**electatio morosa propriè est *simplex complacentia voluntaria de re illicita, sine intentione eam opere implendi*: dicitur autem *morosa*, non pro mora temporis, cum fieri possit in instanti, sed ab immoratione consensùs, quia nimirum voluntas libero consensu in solo motu delectationis circa objectum cogitatum immoratur & acquiescit, absque intentione ulterius tendendi in opus ipsum.

RESOLUTIO: Omnis delectatio morosa, voluntaria ac absoluta de re cogitata formaliter mala, est peccatum pro ratione materiæ mortale vel veniale. Est communis D. Thom. 1. 2. q. 74. a. 8. Sanch. Less. Sanch. Layman. Marchant. aliorumque Patrit. hic n. 22.

Dicitur I. Est peccatum. Patet ex Script. ad Galat. 5. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio,

ditia, impudicitia &c. Certum autem est delectationem morosam veneream esse immunditiam & impudicitiam cordis: ergo est inter illa peccata, de quibus ibidem dicitur: *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*: & docet perspicue S. August. *l. 12. de Trinit. c. 12. Totus homo damnabitur, nisi* hæc, quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, peccata per mediatoris gratiam remittantur. Accedit ratio: quia omnis actus humanus accipit bonitatem & malitiam suam per se primò à suo immediato objecto, ut sit ejusdem bonitatis vel malitiæ, cujus est objectum: sed delectatio morosa voluntaria est verus actus humanus, cujus objectum est res vel operatio formaliter mala: ergo omnis ejusmodi morosa delectatio ejusdem malitiæ peccatum est.

Dicitur II. *Pro ratione materiae*: id est: delectatio morosa est peccatum ejusdem speciei cum peccato cogitato, ut proinde in confessione semper explicandum sit objectum cogitatum, de quo quis delectatus fuit, quoad speciem & numerum. Sed nunquid etiam quoad circumstantias? R. cum communi & recepta doctrina apud *Azorium l. 4. c. 6. q. 3. & Sanch. l. 1. moral. c. 2. n. 11.* ita distinguendum esse: quando delectatio morosa fertur in objectum secundum totam ejus malitiam, ita ut ipsæ etiam circumstantiæ directè volitæ & intentæ sint, utique necessariò explicandæ in confessione erunt circumstantiæ objecti, tanquam objectum parziale: ut si v. g. delectatus es in cogitato parricidio, vel fratricidio: in cogitata copula cum conjugata, consanguinea, moniali &c. quatenus tales

sunt; teneberis sanè eas circumstantias explicare: quia tunc delectatio plenam ac integram operis externi malitiam & speciem sortitur, ac proinde sicut in ipso opere externo, ita quoque in ejus morosa delectatione eæ circumstantiæ aperiendæ sunt. At verò quando delectatio morosa fertur in objectum, non secundum totam suam malitiam, sed secundum partem tantum, ita ut substantia tantum, non autem circumstantia volita vel intenta sit, licet cognita, indirectè etiam volita censi possit; ut si delecteris de cogitata copula cum fæmina apprehensa præcisè ut non tua, minimè autem, ut alteri nupta, consanguinea vel sacra est, sed solum ut formosa, tunc quia non sortitur totam operis externi malitiam, ad speciem simplicis fornicationis vel impudiciæ reducitur, & ideò circumstantias illas explicare necessum haud est.

Dicitur III. *De re mala.* Sive deinde sit mala intrinsecè, sive extrinsecè tantum, dummodo sit formaliter mala & prohibita. Ut si die veneris delecteris de cogitata comestione contra legem, vel in odium legis Ecclesiasticæ. Hoc tamen est discrimen inter rem intrinsecè & extrinsecè malam, quòd quando res est intrinsecè mala, & lege naturæ prohibita (ut fornicatio, homicidium &c.) tunc delectari etiam de substantia actûs secundum se erit illicitum & peccatum: cum enim malitia per se, & ab intrinsecò illi actui insit, non stat delectari de substantia, & non de malitia, nisi per aliquam conditionem possibilem malitia separetur; ut in desideratis conditionatis explicatum est: at verò quando res est solum mala extrinsecè, quia lege positiva

prohibita, ut comestio carnis, vel cœna in die jejuni, quia substantia actûs secundum se bona & licita est, licita quoque erit delectatio de substantia talis actus, præcisa per intellectum prohibitione legis; quia appetitus rationalis malitiam excludit, & appetitus sensitivus illam non attingit, sed in solam tendit comestionem externam secundum se bonam. Alia est ratio, si delecteris de peccato omissionis contra legem positivam v. g. de omissione sacri, aut horarum: in his enim nulla est substantia actûs, de qua posses delectari, præcisâ malitia contra legem. Posses tamen delectari de omissione sacri, abstrahendo à Dominico vel Festo die: de omissione horarum inculpabiliter factâ, quantum ad carentiam illius laboris, eo casu ab omni malitia separatam, uti resolvit *Tamb. l. 10. c. 5. §. 1. n. 2.*

Dicitur IV. *Voluntaria absolutè*: voluntaria, inquam, cum consensu expresso, vel interpretativo, aut permissivo. Delectatio *absoluta*, quæ scilicet nullam habet conditionem excusantem à peccato.

CONFERENTIA CIII.

Quid dicendum de delectatione speculativa ipsius cogitationis rei malæ?

199. **R**ESOLUTIO: Delectatio morosa speculativa tantum ipsius cogitationis vel speculationis rei illicitæ: aut de rei illicitæ modo, inventione, artificio, ita ut objectum formale & ratio delectandi non sit ipsa res illicita, sed solum rei illicitæ cogitatio vel modus, per se mala non est, secluso periculo labendi in aliam delectationem vel

vel consensum mortalem. Est tota Patrit. hic n. 26. qui refert D. Thom. estque communis. Explicatur.

Dicitur I. *Mala non est delectatio de ipsa cogitatione, cognitione, speculatione rei illicitæ.* v. g. legendo, studendo, confessiones audiendo, intelligis varias peccatorum species, modos miros & artificiosos, & inde gaudes ac oblectaris, non de peccatis, sed peccatorum cogitatione seu cognitione acquisitâ per se non peccas. *Ratio est:* quia talis est delectatio, quale est objectum: sed objectum hujus delectationis, nimirum ipsa delectatio vel cognitio rei malæ, per se mala non est, quia intellectus naturaliter fertur in objectum suum verum, quod æque reperitur in rebus malis ac bonis: nec minus intellectui bonum est verum seu veritas de malis, ac de bonis rebus: igitur &c.

Dicitur II. *Aut de rei illicitæ modo, inventione, artificio, &c.* ut si legens libros, spectans comædiam, pugnam injustam, contemplansque miros & artificiosos modos ac inventiones furandi, hominem occidendi, fæminam decipiendi, sponsam rapiendi &c. oblectaris non de ipsis rebus malis factis, vel faciendis, sed solum de modo vel inventione curiosa, subtili, artificiosa &c. *Ratio iterum est:* quia voluntas non tunc delectatur de malo, ut malum est, sed de aliqua ratione boni in malo seu peccato inventa; utpote curiosa ac subtili inventionem, dexteritate, fortitudine, quæ æquè reperiri ac oblectari possunt in rebus illicitis ac bonis: imò fieri potest, ut cogitatio vel modus delectet, etsi res ipsa maximè displiceat. Ita enim cum au-

dimus furta, fraudes, insidias, mirâ dexteritate patrata, ridere solemus, atque delectatione affici, non quòd de malo gaudeamus, sed quòd curiosa naturaliter delectent. Si spectas duellum, vel aliam rem malam, potes delectari, & ridere, quòd subtiliter & ingeniosè aliquid agatur, licet factum ipsum maximè displiceat.

200. Dicitur III. *Per se mala non est*: ex se enim omninò indifferens est ejusmodi speculativa delectatio, potens esse bona vel mala. 1. *bona ac optima erit*, si ita delecteris ob finem bonum; ut puta in ordine ad docendum, confessiones excipiendum, ad tibi vel proximo malum cavendum. 2. *mala venialiter erit*, si sit otiosa, curiosa, levis, vel ad nullum bonum finem directa. 3. *mala mortaliter erit*. Si ita delecteris, ut ad finem mortaliter malum, v. g. peccatum imiteris: aut si adsit periculum labendi in aliam delectationem, vel consensum mortalem; quod vel maximè timendum in materia venerea. Unde 4. voluntaria talis speculativa delectatio in imaginatione de rebus turpibus (secluso bono fine, qui mentem alio divertat) practicè loquendo semper peccatum mortale est. Uti rectè advertit *Tambur. L. 10. c. 1. n. 8.*

Ratio est: quia delectatio de imaginatione rerum turpium, practicè & moraliter loquendo, nunquam sistit in sola imaginatione, sed ex se, propter sympathiam & connexionem potentiarum naturaliter concitat motus inordinatos appetitus sensitivi, atque ipsam commotionem libidinofam spirituum genitalium. Quid enim magis commovet hominem ad turpia, quàm ipsa turpia
feriò

ferio imaginari? cum ergo eam commotionem libidinosam nunquam liceat procurare, nunquam etiam licebit talia turpia imaginari, etiam cum sola speculatione imaginationis.

CONFERENTIA CIV.

An licitum sit delectari de re materialiter tantum mala?

Sensus quaestionis est, an liceat delectari vel gaudere de pollutione, fornicatione, adulterio, homicidio, perjurio &c. factis inculpate in somno, ebrietate, amentia, ex ignorantia vel errore invincibili? v. g. si cognovisses faeminam invincibiliter putans esse tuam, aut occidisses hominem inculpabili errore credens esse feram.

201. RESOLUTIO I. illicitum est delectari de re materialiter mala secundum se. Ita communis & certa doctrina apud Sanch. l. 1. c. 2. n. 16.

Ratio & regula generalis ab Azorio & Sanchez assignata est. Quoties causa excusans a peccato factum exterius, non etiam reperitur in ipsa delectatione (vel desiderio) tunc licet factum culpa sit liberum, non tamen libera erit a culpa eius delectatio vel desiderium: atqui facta illa enumerata, & similia, de se & natura sua intrinseca mortalia sunt, & ex solo defectu rationis ac voluntarii, vel ob ignorantiam invincibilem, excusantur a culpa mortali; ipsa vero delectatio de iis voluntarie suscepta caret omni ejusmodi causa excusante, quia plenam rationis libertate tendit in illa objecta simpliciter mala: igitur delectatio morosa de re materialiter mala, secundum se semper est illicita, & tale

tale peccatum, quale essent ipsum peccatum, si voluntariè fieret, mortale, vel veniale.

Dices: talis est delectatio, qualis est actus ipse: ergo si actus fuit licitus, & delectatio ipsius licita erit. R. dist. anteced. si causa liberans actum à culpa, reperiatur etiam in delectatione, conc. anteced. si non, neg. anteced. cum conseq. Sic enim licet delectari de furto facto in extrema necessitate: de homicidio facto ob necessariam defensionem &c. quia eadem libertas eadem est in facto & delectatione, & causa liberans factum à peccato, etiam currit in delectatione; quod non fit in proposito resolutionis.

202. RESOLUTIO II. Non item illicitum est delectari de re materialiter mala sub ratione aliqua boni. Ita DD. citandi.

Ratio est: quia licitum est gaudere de re materialiter mala cum reduplicatione, quatenus nim. facta cum causa exculante à peccato v. g. ut si evigilans, compertà pollutione, exultes, quod in somno facta sit inculpatè, & non in vigilia: hoc enim perinde est, ac gaudere, quòd eo facto non peccaveris: hoc autem sine dubio bonum est: igitur &c. Deinde consentiunt omnes licitum esse gaudere de re materialiter mala, quatenus causa fuit aliqui boni effectus secuti, seu potius de ipso effectu bono secuto: ut quod ex pollutione involuntaria cessarit tentatio vel infirmitas; vel quòd ex perjurio inculpatè ex ignorantia facto, homo liberatus sit à morte: vel quòd ex homicidio inculpabiliter comisso tibi multa hæreditas obvenit &c. Talis enim delectatio vel gaudium nullo modo

ten-

tendit in objectum, ut malum est, sed potius in ipsum effectum bonum secutum, ut patet ex communibus Vasq. 1. 2. disp. 115. c. 3. Sanch. l. 1. c. n. 18. Less. l. 4. c. 3. n. 140. & alii.

CONFERENTIA CV.


An desiderare rem materialiter malam sit licitum ?

203. **R**ESOLUTIO: Desiderare rem materialiter tantum malam (puta fornicationem, homicidium siendum in somno, ebrietate, vel ignorantia invincibili &c.) peccatum mortale est, ejusdem speciei cum actu desiderato.

Ratio est: quia desiderium illud deliberatè ac voluntariè tendit in objectum naturam suam simpliciter malum, ac peccatum mortale: & quod formaliter non sit tale, ex sola indeliberatione & involuntario excusatur; adeò ut causa excusans peccatum non reperiatur in desiderio. Quia ergo ejusmodi desideria verè formaliter & intrinsecè mala sunt, nullo etiam sine bono cohonestari poterunt. Quis enim dicat licere, ad finem aliquem bonum optare & velle homicidium, vel adulterium committere in ebrietate? & si hoc, cur non etiam alium ebrium vel amentem ad idem committendum instigare? cur non licebit virgini optare sibi vim inferri ab ebrio ad bonum finem, v. g. consequendi ejusdem utile conjugium? quæ tamen omnium sensu insana sunt. Igitur

204. Dices: non pridem dictum est, licitum esse affectu simplici desiderare, ut pollutio meretricis naturalis & omninò involuntaria in somno eveniat,

niat, ob aliquem finem bonum, v. g. tentationis sedandæ, vel sanitatis recuperandæ, secundum communem doctrinam: cur ergo eadem ratione non liceat desiderare fornicationem aut homicidium, aliæque peccata? R. Magnum intercedere discrimen inter fornicationem, homicidium &c. & inter pollutionem; quia fornicatio, homicidium &c. non sunt actus merè naturales, sed ex sua natura peccant esse actus morales ac liberi, sive hominis voluntati subiecti: & cum intrinsecè mali sint, etsi ex defectu voluntarii possint excusari à culpa, non ideò à culpa excusabitur eorum desiderium voluntarium. At verò pollutio vi naturæ proveniens nullatenus est actus humanus, nec voluntati hominis subiectus, sed est actus quidam, & evacuatio naturalis naturæ ad instar sudoris, aliarumque expulsiōnum; & sic facta omni prorsus culpâ vacat, non ex defectu voluntarii vel liberi, sicut fornicatio vel homicidium, sed quia naturâ suâ effectus merè naturalis est; & ideo voluntariè in eam tendere nullam contrahit malitiam: ergo sicut de ea sic facta gaudere, ita etiam ut sic naturaliter eveniat in somno, propter bonum finem, desiderare licitè possumus; intellige semper *desiderio vel affectu simplici & inefficaci*: & dummodò illud desiderium simplex non sit ita intensum, ut moraliter evadat efficax, & probabiliter credatur fore causâ ipsius pollutionis: tunc enim esset moralis & volita.



CONFIDENTIA CVI.

Delectatio morosa diversis statibus applicata.

Resolvendum est hinc breviter qualiter peccent soluti delectationibus morosis: & quomodo sponsi, ac vidui: & denique conjugati in absentia alterius partis de se invicem cogitantes: quare pro primis sit

RESOLUTIO I. Illicita mortaliter est omnis delectatio morosa venerea solutis, captata, admissa, permessa, aut ex ipsa copula cogitata, sive absolute sive cum conditione si esset sua, vel suus: aut ex quocunque alio actu, cogitatione, imaginatione, aspectu, tactibus, osculis, amplexibus, nulla etiam admissa parvitate materiae à mortali excusante. Patent omnia ex dictis.

205. **RESOLUTIO II.** Sponsi etiam illicita est mortaliter omnis delectatio sensibilis venerea directe voluntaria, captata, admissa, permessa, tam ex ipsa copula futura cogitata, quam ex cogitationibus, aspectibus, tactibus, osculis, amplexibus libidinosi, *Navarr. c. 16. n. 9. aliisque citatis Sanchez l. 9. de matrim. d. 47.*

Ratio est, quia delectatio venerea tendit in copulam ut presentem, & reipsa pollutionem inchoat: at copula ipsis in eo statu adhuc mortaliter illicita est secundum communem DD. sententiam: ergo & delectatio. Cæterum ipsa oscula, amplexus, & tactus non nimis impudici, & notabiliter moventes ad libidinem inter sponso, cohonestantur ex sponsalibus, maxime si fiant ad bonum finem, amoris concii-

conci-

conciliandi vel contestandi, etsi præter intentionem sequatur nonnulla commotio sensibilis, dummodo absque periculo consensûs vel pollutionis. Ita cit. Navar. & Sanchez.

Porrò liciti sunt sponsis, non tantùm consensus in ipsam copulam ut futuram, cùm is in promissione matrimonii implicite includatur; sed etiam desiderium ac gaudium de futura copula, ejusque delectatione capienda. Quia enim ex sponsalibus contractis talis copula & delectatio aliquando futura est, licite utique in eam consentire & delectari possunt.

206. RESOLUTIO III. Viduis illicita quæque est mortaliter omnis delectatio morosa venerea de copula præterita tempore matrimonii habitata. Ita Navar. c. 16. n. 10. Corduba, Lopez, Vasq. Sanch. & alii.

Ratio est: quia nimirum viduis non est amplius licita illa copula delectabilis, itaque nec licita est actualis delectatio naturâ suâ in copulam tendens, eamque inchoans. Licita tamen ipsis manent gaudium, complacentia, approbatio, ac etiam delectatio rationalis tantùm voluntatis de copula præterita & delectatione annexa. Habent enim objectum licitum, quia licita fuit illis copula & delectatio, nec tenentur eam modo reprobare, nec contestari. Ita omnes.

207. Dices. Plus est approbare, quam delectari tantùm: sed viduis licet approbare copulam habitam cum parte emortua: ergo & de illa delectari. *Confirm.* Conjugibus licet delectari sensibiliter de copula præterita & futura, ergo idem licet.

licet sponsis de futura, & viduis de præterita. R.
Dist. majorem: plus est approbare, quàm delectari
 delectatione rationali tantum in voluntate: Conc.
 M. & ideo talem delectationem etiam concedimus
 sponsis & viduis; plus est approbare, quam delec-
 tari delectatione sensibili venerea: neg. M. Hæc
 enim delectatio, quia naturâ suâ tendit ad copulam,
 non potest esse licita, nisi quibus licita est copula:
 & conc. min. *dist.* eodem modo conseq. ergo &
 de illa delectari delectatione rationali in voluntate,
 consensibili venereâ: nego conseq. Unde ad *con-*
firm. negatur consequentia & paritas. Nam con-
 jugibus semper licita est copula, & ideo etiam ejus
 delectatio: sponsis autem copula pro nunc non
 licet, sed licebit & non licet amplius, sed licuit tan-
 tum.

208. RESOLUTIO IV. Conjugatis sicut
 per se semper licita est ipsa copula, ita etiam sem-
 per eis licita est morosa de illa delectatio quæcun-
 que, & omnia ad copulam dispositiva inter sese,
 utputa cogitationes, aspectus, colloquia, oscula, am-
 plexus, tactus quicumque.

Ratio est, quia cui licitus est finis, etiam media ad
 illum finem dispositiva licita esse debent, & qui-
 dem si prædicta fiant ad honestum finem, utpote
 preparandi ad copulam aut etiam amorem con-
 jugalem contestandi, omnia culpâ vacabunt: si
 verò fiant absque animo copulandi solius delec-
 tationis gratiâ, culpam venialem non excedunt, tan-
 quam excessus in re aliâs licita. Duobus tamen
 sub mortali exceptis. I. Quando id fit cum mani-
 festo pollutionis prævisæ periculo, nisi sint in lo-

co, ubi statim copula haberi potest. II. Excluso
omni coitu innaturali etiam leviter tantum in-
choato, & animo non extra consummandi. Ita
Sanch. l. 9. disp. 17. 44. 45. Dian. p. 2. tract. 17. 11.
solut. 37. Marchant. trib. p. 2. & tract. 7. tit. 2. in ap-
pendice & alii.

Quin etiam conjugibus licita manet delectatio
morosa venerea (dummodo absit periculum pol-
lutionis) etiam quando absente altero conjugis,
copula haberi non potest, aut aliunde ab extrinseco
impedita esset. Ita ex communiori *Sanch. cit. Disp. 44.*
à n. 13. Ratio iterum est: quia talis est delectatio
qualis est actus: sed etiam tunc copula conjugibus
suapte natura ab intrinseco licita est, & solum
per accidens impeditur ab extrinseco; utpote per
absentiam alterius conjugis, vel per supervenien-
tem impotentiam, infirmitatem, puerperium &c.
I. Etiam, si ob incestum commissum conjux ami-
sisset jus petendi debitum: licet enim ei adhuc red-
dere; consequenter etiam delectari.

209. Denique apud omnes in confesso est, pec-
care mortaliter conjugem, dum in actu conjugali
cum propria conjugis imaginatur sibi aliam fami-
nam vel personam carnaliter dilectam; aut effu-
caciter desiderando eam hic & nunc habere loco
conjugis (& hoc est mortale adulterium) aut mo-
rose solum delectando se in imaginatione alterius
personæ, quasi præsentis loco conjugis quod
est objectum hic & nunc mortali-
ter illicitum.

CONFERENTIA CVII.

De peccato ex consuetudine.

210. **P**eccatum ex consuetudine dicitur, quod vi habitus per frequentatos actus acquisiti, quasi naturali impetitu omnino indeliberatè committitur, talia in plurimis sunt consuetudines blasphemandi, pejerandi, detrahendi, mentiendi, & forte etiam morosè delectandi in venereis. Quæritur ergo hîc, qualiter peccata ex consuetudine sint peccata in sua causa, scil. ipsâ consuetudine contracta, & non deposita: itaque sit

RESOLUTIO I. Scienter & voluntariè frequentatis actibus contrahens consuetudinem peccandi (blasphemandi, pejerandi, mentiendi &c.) graviter & dupliciter peccat mortaliter. I. Ipsa actuali blasphemiâ, vel simili peccato. II. Voluntariè ponendo causam secuturis blasphemis, vel similibus peccatis. Ita Patrit. noster *hic c. 6. num. 52.*

Ratio est, quia licet secutæ blasphemix ex consuetudine vel habitu contracto formaliter, peccata non sint ob defectum voluntarii, si omnino indeliberatè & naturali quasi impetu fiant, ipsa tamen voluntas ponendi earum causam, scil. consuetudinem per frequentatos actus, sufficienter voluntaria fuit; ideoque duplicatam sortitur malitiam, unam ab actu deliberatè frequentato, alteram à prævisis indirectè saltem volitis, etsi materialiter tantum malis.

211. RESOLUTIO II. Ille, qui voluntariè
Q 2 ita

ita contraxit consuetudinem peccandi, blasphemandi, pejerandi &c. tenetur sub peccato mortali operam dare, ut eam consuetudinem vincat, atque deponat. Idem qui supra n. 53.

Ratio est, quia advertens suam pravam consuetudinem blasphemandi &c. & quantum potest deponere non conatur, censetur eam velle & approbare; & consequenter etiam indirecte censetur velle ipsas blasphemias ex illa consuetudine factas, ideoque peccat formaliter, immo manet in continuo statu peccati mortalis omissionis, atque ita ipsæ blasphemix ei in peccatum imputantur tanquam indirecte voluntariæ in sua causa, malæ scilicet consuetudine voluntariæ non ablata. Tenetur itaque talis consuetudinarius non tantum dolere de præteritis peccatis, blasphemis, perjuriis, execrationibus &c. atque firmum propositum abstinendi concipere; sed etiam serio proponere propinquas occasiones cavere, quatenus fieri potest sine magno incommodo: ut cum *Sagr. Valent.* & aliis optimè notat *Laym. l. 1. tr. 2. c. 3. n. 6.*

212. RESOLUTIO III. Postquam penitens pravam consuetudinem ita blasphemandi, pejerandi &c. efficaci proposito detraxit, debitumque conatum eam deponendi adhibuit, tunc consequentes blasphemix ex vi ejusdem consuetudinis inculpabiliter contra voluntatem & conatum, quasi naturali impetu erumpentes, nullo modo amplius ad peccatum imputari poterunt. Ita cit. *Patrit. n. 55. &*

Ratio est: quia tunc non sunt amplius ullo modo voluntariæ, neque in se directæ (ut supponitur) neque

neque indirectè in sua causa sive consuetudine, utpote jam voluntariè & efficaciter retractata, ut proinde amplius voluntaria censerì non possit.

CONFERENTIA CVIII.

De Peccatis ex contemptu.

Peccatum ex contemptu dicitur, quod ex contemptu legis vel Legislatoris committitur: ut cum quis ideo peccat, aut legem vel præceptum transgreditur, quia non vult subjectus esse legi ex indignatione erga legem aut Legislatorem.

Differunt porrò peccare *ex contemptu*, & *cum contemptu*, in eo, quòd transgredi legem *ex contemptu* contingat, quando contemptus est causa transgressionis, ita scil. ut quis ideo nolit servare legem vel præceptum, quia contemnit præceptum vel præcipientem, etsi abesset talis contemptus, non transgredetur; *cum contemptu* autem transgredi legem, vel præceptum est, cum quis quidem de facto contemnit præceptum vel præcipientem: is tamen contemptus non est causa vel motivum transgressionis: sed, sicut stante illo contemptu, posset adhuc servare legem ex alio motivo, utpote quia timet pœnam; ita etiam, absente illo contemptu, adhuc transgredetur legem ex alio motivo, vel vitiosa affectione, hoc notato sit

213. RESOLUTIO I. Transgressio cujuscunque divinæ vel humanæ legis vel præcepti, in quacunque materia quantumvis minima, ex *contemptu formali & injusto* ipsius legis vel Legislatoris, præcepti vel præcipientis, est *peccatum mortale, & speciale formalis inobedientia*. Est doctrina certa

Q3

&

& orthodoxa. Probatur I. *Auct. D. Bernardi lib. de precepto & dispensat.* ubi dicit: Contemptus in omni specie mandatorum pari pondere gravis & communiter damnabilis est: sive enim Deus, sive homo vicarius Dei mandatum quodcumque traderit, pari profectò obsequendum est curà, pari reverentia deferendum; ubi tamen Deo contraria non præcipit homo.

Probatur II. Ratione desumpta ex S. S. quia transgredi legem vel præceptum *ex formali & injusto contemptu* legis vel præcepti, aut Legislatoris vel præcipientis, est directè & formaliter contemnere ipsam potestatem legislativam superioris: sed contemnere ipsam potestatem legislativam, utpote à Deo ordinatam, de se est gravissima injuria in ipsum Deum ejusque sapientissimam ordinationem, uti demonstrat Apostolus *Rom. 13. Non est potestas, nisi de Deo: quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaque quis resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirant?* Uti que pœnam peccati mortalis; maximè autem resistunt potestati, qui eam contemnunt: ergo ex formali contemptu transgredi legem vel præceptum de se peccatum mortale est. Additur, & *speciale formalis inobedientia*, quemadmodum enim obedientia omnium virtutum in observatione præceptorum generalis conditio est, & specialis virtus efficitur, cum quis opus præceptum exequitur cum formali intentione ac motivo obediendi & satisfaciendi præcepto, adeo ut talis eodem actu v. g. servando jejunium præceptum simul exercent actum duplicis virtutis (temperantiæ & obedi-

tiæ formalis) ita quidem inobedientia omnium peccatorum contra leges vel præcepta commissorum generalis quædam conditio est: at verò efficitur *speciale peccatum formalis inobedientiæ*, si legem vel præceptum violes formali & directa intentione non obediendi, quod fit *per formalem contemptum præcepti vel præcipientis*: adeò ut ex formali contemptu præceptum v. g. jejunii violans, uno actu duplex peccatum committat videlicet intemperantiæ contra legem jejunii & formalis inobedientiæ per contemptum legis: estque hoc posterius peccatum gravius priori? ideoque in confessione necessario explicanda hæc circumstantia contemptus tanquam speciẽ mutans, seu novam ac diversam peccati speciẽ constituens, ut cum Valent. & aliis observat Sanch. l. 1. moral. c. 5. n. 9. Jam ergo ulterius subsumo: atqui etiam *in re levissima* resistere divinæ ordinationi, eamque contemnere semper est peccatum mortale; quia est injuria directe contra infinitam perfectionem Dei, nimirum sapientiam & æquitatem, ergo transgredi legem vel præceptum ex formali contemptu, etiam in re levissima, semper erit peccatum mortale.

214. Dices: Hinc sequeretur, etiam ea, quæ sub consilio tradita sunt à Christo vel Ecclesia; utputa status Religionis, Extrema Unctio, usus aquæ benedictæ &c. si negligentur esse peccata mortalia: consequens est autem nimis rigidum: igitur &c.

Respondetur cum Cajetano V. contemptus. Navar. c. 23. n. 4. concedendo sequelam, ait enim Glossa in C. quis autem d. 10. Etenim aliud est contemnere: aliud non parere. Nam Consilio sine culpæ

24

non

non paratur; sed non sine culpa contemnitur. Itaque negatur minor, id esse nimis rigidum. Audi D. Thom. 2. 2. q. 182. a. 9. ubi dicit. Etsi statuta Ordinis Prædicatorum (idémque est de statutis Fratrum Minorum, exceptis iis, quæ per obedientiam, vel sub Excommunicationis pœna statuuntur) non obligent ad culpam, nihilominus eorum *transgressionem ex contemptu formali esse mortalem.*

DE SALIGIA.

Quia per hanc dictionem communiter indicantur septem peccata Capitalia, utpote Superbia: Avaritia: Luxuria: Invidia: Gula: Ira: & Acedia. Cujus singulæ litteræ per ordinem significant litteras initiales eorundem? videlicet S. Superbiam. A. Avaritiam. L. Luxuriam. I. Invidiam. G. Gulam. I. Iram. A. Acediam. Placuit hanc doctrinam de septem peccatis Capitalibus, intitulare Saligia: proinde ordiemur à Littera prima dictionis, quæ est

S.

SUPERBIA.

215. **D**efinitur, quòd sit *inordinatus appetitus propriæ excellentiæ?* sic dicta, quòd quis in donis naturalibus, vel supernaturalibus inordinatè appetat excellere vel eminere super alios, ac velut alios super ire. Hujus quatuor gradus assignantur à D. Gregorio, & aliis. I. Cum quis appetit habere bona, quæ revera non habet. II. Cum quis appetit habere vel videri habere bona à seipso & non ab alio, maximè Deo. III. Cum quis ag-

noscens

Itaque nōscens se habere bona sua ab alio (maximè à Deo) tamen appetit habere, vel videri habere tanquam sibi, suisque meritis vel industriæ debita, non ex gratia. IV. Cùm quis bona sua appetit habere, vel videri habere singulariter & eminenter, cum contemptu aliorum.

Porrò superbix duæ sunt filix: Ambitio, quæ & appetitus inordinatus propriæ excellentiæ in honoribus vel dignitatibus non debitis, vel debito majoribus, & vana gloria, quæ est appetitus inordinatus manifestationis propriæ excellentiæ, seu humanæ laudis & gloriæ. Atque hujus penes diversos modos quibus quis conatur manifestare propriam excellentiam rursus quatuor sunt species utpote

1. *Factantia*, quæ est declaratio inordinata propriæ excellentiæ per verba tantum.

2. *Ostentatio*, seu declaratio inordinata excellentiæ propriæ per facta vel signa; ut pompa gestuum, vestium, conviviorum &c. quo spectat inventio novitatum.

3. *Presumptio* seu declaratio inordinata propriæ excellentiæ per aggressionem factorum vires suas excedentium.

4. *Hypocrisis* declaratio ficta propriæ excellentiæ per facta, vel signa ficta & falsa: idque dupliciter, ut cùm quis vult esse malus, foris tamen videri bonus intuitu gloriæ: item cùm aliquis solum non existens bonus tamen foris vult videri bonus intuitu gloriæ. Denique ad superbiam etiam pertinent, vel ex ea nascuntur *pertinacia, discordia, contentio, inobedientia, aliæque innumera peccata.*

Q

Præ-

Præterea alia est *superbia completa*, qua quis appetit excellere, vel eminere præ omnibus, etiam ipse sibi, a se, ut nec ipsi Deo subesse velit: qualis defacto est *superbia diaboli*. Est peccatum longè gravissimum: quemadmodum etiam quoties conjuncta est cum gravi injuria & contemptu Dei; ut cum quis bona sua æstimat se habere, vel vult videri habere non à Deo, sed à se: aut dolet se ea habere à Deo, aut saltem meritis & industria sua debita æstimat, vel æstimari vult. Et quamvis incredibile videri possit, hominem rationalem creaturam eò dementissimæ *superbiæ* progredi, ut in hujusmodi appetitum deliberato & pleno actu voluntatis consentiat, certè tamen sit indirectè & tacitè, adeo nimirum extollendo se de bonis suis (puta ingenii, industriae, fortitudinis, divitiarum, fortunæ &c.) absque omni relatione ad Deum, ut reverà censeantur æstimare se illa habere à se ipsis, non à Deo, & dicere illud Deut. 32. *Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Qui proinde non possunt excusari à peccato mortali ob gravissimam Dei, omnium bonorum fontis & principii, injuriam. Alia est *superbia incompleta*, quâ quis salva subjectione erga Deum, eoque, quibus subiectio debetur, in aliis inordinatè super alios excellere appetit. Hujusmodi sunt *Ambitio, Vana gloria, Jactantia, Ostentatio, Prasumptio, Hypocrisis non perniciofa*, peccata per se solùm venialia; quia appetitus propriæ excellentiæ manifestandæ ex natura sua indifferens est: & ordinatus in finem bonum, bonus & meritorius esse potest. Licet enim appetis habere vel manifestari excellentiam

lentiam tuam, in virtute, scientia, dignitate & fama; in ordine ad Dei gloriam, proximorum salutem, vel propriæ famæ tutelam. Qua ratione viri sanctissimi se laudârunt, ut Paulus Apostolus 2. Corinth. 11. integrum Catalogum laudum suarum composuit, dicens: *Hebræi sunt, & ego. Israëlita sunt, & ego. Semen Abrahæ sunt, & ego. Servi Christi sunt (ut ninus sapiens dico) plus ego.*

Quod si autem talis appetitus inordinatus sit, & ad finem indebitum, scil. solam propriam complacentiam erit sanè peccatum, non tamen per se grave, utpote exæssus in re indifferenti, per accidens tamen peccatum grave, aut etiam mortale erit. I. Cum prædicta superbia, vana gloria jactantia &c. conjuncta sint cum gravi contemptu proximi, ut si superbiendo de tua excellentia, aspernes, ac reprobes vilem proximi statum, quasi complacendo tibi in ejus vilitate. II. Si conjuncta sint cum gravi damno proximi, ut si jactes te magnum Doctorem, Concionatorem, Juristam, Medicum &c. cum detrimento aliorum Doctorem &c. III. Si sint causa aliorum peccatorum, res nimis nota. IV. Si fiant ad malum finem, cum scandalo, vel alio modo ex iis, quibus veniale fit mortale juxta dicta sup.

Remedia contra Superbiam.

216. **C**onfessarius jubeat sæpe perpendere, quam abominabilis sit Deo superbia. Id colligere poterit tum ex S. scriptura, ubi dicitur, *abominatio est Deo omnis arrogans.* Tum ex SS. Patribus: ex quibus S. Chrysost. dicit. *Nihil longius*

gius ab amore abducit, nihil tam facile in gehennam intrudit, quam superbia insania: tum ex pœnis, quibus Deus superbos castigavit præcipuè Luciferum, Pharaonem, Nabuchodonosorem, Holofernem, Aman, Clericum, qui fulgureo ense percussus est, quia falsam dixit sententiam illam: *omnis qui se exaltat, humiliabitur*: Simonem de Torniacò, qui, quia scientiâ suâ nimium inflabatur, horribili plagâ percussus est, & omni scientiâ privatus; & tandem Eremitam illum, qui in agone constitutus latroni sese prætulit, & damnatus est; ut legitur in *Exemplorum speculo* d. 5. Ex. 9. Tum denique ex genere furti, quod committit: furatur enim Deo rem pretiosissimam, quam soli sibi reservavit (alteri enim inquit, gloriam meam non dabo) furatur summo Regi ac Domino, furatur inspicienti, furatur rem sacram & ad solum Deum pertinentem, furatur post veniam non semel, sed sæpius concessam.

II. Jubeat meminisse; quid fuerit, quia sperma fœtidum; quid sit, quia vas stercorum, & quid futurus sit, quia esca vermium. Hoc remedio Angelus Liffardum à superbiæ tentatione liberavit, ut videre est *in cit. speculo Exemplorum* d. 6. Ex 27.

III. Indaget causas superbiæ, & ostendat, quàm exiguam habeat causam inde superbiendi. Hinc si ob divitias superbiat, quærat ipsum, an putet eum justè superbire, cui Princeps quæstoris vel thesaurarii officium comitteret? vel qui jam laqueum in collo haberet ad suspendium, subeundum? vel cui cum aliis per lutum incedenti plus luti & for-

didæ

didæ terræ adhæreret? vel qui præ aliis difficilem
aditum ad aulam Regiam, & beneficia ibidem ca-
pienda haberet: atqui hæc omnia, ut ex S. scrip-
tura colligitur, divitibus accidunt. Incidunt enim
in laqueos Diaboli, & in multa nociva desideria,
quæ homines mergunt ad interitum, & difficile
est introire in Regnum Cælorum. *Si ob for-
ma elegantiam superbiat*, quærat, an putet justam
causam superbiendi esse, si vas stercoreum pulchro
colore, aut vestibus pretiosis ornetur? aut si se-
pulchra, quæ intus plena sunt fætoe, & ossibus
mortuorum, exterius eleganter depicta & deal-
bata appareant? atqui his vasis & sepulchris for-
mosi similes sunt. Huc poterit fæditas Isabellæ
Reginæ Hispaniæ demortuæ conducere, quæ S.
Borgiam Ducem Gandiæ movit, ut deserto mun-
do Religionem ingrederetur. *Si ob scientiam quis
offeratur*, quærat illum, an judicet, eos Concio-
tatores vel Professores meritò superbire, qui to-
tam concionem vel lectionem de verbo ad ver-
bum ex alieno auctoris libro descripserunt & pub-
licè declamârunt, vel dictârunt? atqui omnis
scientia humana ex libro increato sapientiæ divinæ
desumpta est. Aut an judicet, eos populos, qui
sicut sol citius oritur, aut qui lumine ab alio accep-
tò, iterum lumen illud alteri communicant, me-
ritò se aliis præferre? tales autem sunt homines
docti, qui illam duntaxat scientiam habent, &
aliis tradunt, quàm à Deo acceperunt; suadeatur,
ut legatur ex Thom. Kemp. l. 1. c. 2. illa sententia præ-
teris perpendatur: *quantò plus & melius scis, tan-
tò gravius inde judicaberis, nisi sanctius vixeris. Si ob
digni-*

digni-

dignitatem superbiat, quærat, an Caminòs meritò
superbire putet ex eo, quòd altiores sint reliquæ
domûs partibus? aut actorem in Comædia, si mu-
tuatis vestibibus personam Principis agat; an navis
à tempestate & fluctibus liberior sit, si speciosum
Aquilæ aut victoriæ Titulum habeat? an major sit
dignitas apud Mendicos (quales sunt omnes ho-
mines) in honore & æstimatione esse, quàm apud
Deum? Hæc omnia autem videbit in Magnates
convenire. Adde, quòd honor, qui illis exhibe-
tur, non referatur ad illorum personam secundum
se spectatam, sed quatenus Deum repræsentant.
Unde dicere sibi deberent, quòd quondam Agafo-
mulo Isidis Dææ statuam portanti, & quòd ho-
mines coram se in genua procidere videret, super-
bienti, latus ejus baculo tundens dixit: *non tibi, sed
Isidi honor iste desertur. Si denique ex Sanctitate oria-
tur superbia*, quærat, an is, qui centum millia Te-
lentorum deberet Principi, & unicum tantum obo-
lum solvisset, meritò superbiret? atqui si omnes
actus sanctorum eliceremus, nec obolum quidem
solvissimus, juxta ipsius Christi testimonium di-
centis: *cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis,
dicite, servi inutiles sumus.* Item quærat, an qui ex
mille constructionibus, unam tantum sine solæci-
mo fecisset adolescens, meritò superbiret? atqui
eodem modo, ex mille nostris operibus vix unum
naivo caret.

Ultimum ac præcipuum sit illud Christi Cruci-
fixi hortamentum: *discite à me quia mitis sum & hu-
nilis corde.*

A.

AVARITIA.

217. **D**efinitur, *appetitus inordinatus habendi*, seu immoderatus amor, cura & sollicitudo acquirendi & retinendi pecunias, divitias seu bona temporalia. Opponitur virtuti liberalitatis secundum excessum; & per se ex genere suo solum peccatum veniale est; utpote excessus in re aliàs indifferenti & licita. At verò per accidens nimis sæpe mortale fit. I. Ut v. g. quando repugnat charitati Dei, cum scil. homo adeò inordinate appetit divitias, ut in eis ultimum finem constituat, paratus ob eas legem Dei violare, atque adeò amicitiam Dei, curamque salutis omnino postponat vel excludat; Quod significare voluit Christus Matth. 6. *Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, & alterum diligit; aut unum sustinebit & alterum contemnet* (statim intulit) *non potestis Deo servire & Mammona*, ita scil. ut in divitiis totum affectum, curam, sollicitudinem, spem ac quasi ultimum finem constituatis: sic enim Deo contempto, Mammonæ pro Deo servietis. Unde emphaticè Apostolus avaritiam *deorum servitutem* appellavit. Idque verum est etiam, si divitiæ injustè acquisitæ non essent, non ergò gloriatur avarus, quod nihil rapuerit, nullum violentus oppresserit. Hoc ipso enim, quòd excessivo adeò amore in divitias feratur, ut dicto modo charitatem Dei excludat, peccat mortaliter & ab Apostolo Idololatræ comparatur.

II. Avaritia fit peccatum mortale, quando repug.

pugnat graviter Charitati vel iustitiæ erga proximum, utpote immodico habendi amore, aut injustè auferendo, vel detinendo rem alienam, aut duriter non succurrendo extremæ vel gravi proximorum necessitati. Quin etiam, ut benè notat *Toletus l. 7. c. 25.* Avaritia non tantum sævit in alios, sed etiam in ipsum avarum prohibendo eum, ne vel suis utatur ad necessitatem vel sufficientiam, hi nim. ultra peccatum etiam insanunt.

III. Avaritia denique post superbiam merito secundo loco numeratur inter Capitalia; quia revera plurimorum peccatum caput & causa est, cujus proinde 7. filix enumerantur à *S. Greg. l. 31. Moral. c. 31.* videlicet obduratio, Inquietudo mentis, Proditio, Fraus, Perjurium, Fallacia, Mendacium, quæ passim apud summistas explicata invenies.

Remedia contra Avaritiam.

218. I. **J**ubeat Confessarius considerare malitiam Avaritiæ: nam *avaro nihil est scelestius*, teste Ecclesiastico: & juxta *S. Paulum: Avaritia est simulacrum servitutis.* Item radix est omnium maliarum cupiditatum, quam quidam appetentes erraverunt in fide, & inseruerunt se doloribus multis, tales incidunt in laqueos diaboli, ut experti sunt Judas, Giezi, & Euclio ille, cujus cor post mortem inventum est in arca: ut & ille, qui pecuniam senti inspersam devorans suffocatus est: item *Reginherus Misniæ Episcopus*, qui in cubiculo inventus est mortuus ruptis cervicibus thesauro suo incubans: item dives, cujus anima à nigris equitibus ad tartara raptata est.

II. Con-

II. Considerare jubeat vitæ brevitatem, illaque Christi verba sibi applicare: *stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, & quæ parasti, cujus erunt?* an non stultus esset, qui in Indiam proficiscens, & mox reversurus, ibi palatia exstrueret, aliasque opes, quas inde auferre non liceret, congereret? aut si totus esset in iis opibus comparandis, quas sciret, in patria nihil æstimari? an non stultus esset viator, qui itinere jam propè absoluto de magno viatico cogitaret? Atqui hæc omnia avari faciunt.

III. Hortetur ad veras divitias, scil. bona opera & virtutes comparandas: quas neque fures effodiunt, nec tinea demolitur, nec ærugo consumit, quæ ad omnia sunt utiles, quibus vera beatitudo & regnum cœlestis emitur: quæ facili labore acquiruntur: cum magno solatio & securitate possidentur: & cum inexplicabili voluptate in alterum orbem devehuntur.

IV. Ostendat illi, quantarum curarum & damnorum tam corporis, quam animæ causa sit avaritia: quis autem ultrò se in spinas conjicit? quæ avis in laqueos involaret, si periculum mortis nō esset? quis non detestaretur illos homines, qui ad idololatriam incitarent, suaderentque, ut erepto Christo ex ciborio lutum aut pecunia substituere-
tur? quis crumenam suam luto repletam loco pecunie non doleret? quis non dolet, si falsam pecuniam in magna quantitate sibi ab alio datam advenit? quis operarius non recusat laborem, ob quem nullum aliud præmium, quàm laqueum, quo in patibulum suspendendus traheretur, sperare

Pars II.

R

rare

rare posset? Atque hæc omnia avaris conveniunt.

V. Jubeat sæpe meminisse, quòd melius sit modicum justo super divitias peccatorum multas: quòd non sit inopia timentibus Deum: quòd magnus sit quæstus pietas cum sufficientia: quòd optimæ litteræ censuales sint illa Christi promissio: quærite primum Regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.

L.

LUXURIA.

219. **D**efinitur, *appetitus vel usus venereorum inordinatus vel indebitus*, tam quoad copulam illicitam, quàm quoad delectationem veneream morosam directè voluntariam. Est semper peccatum mortale, ut supra probatum est. Hujus septem sunt species, fornicatio, adulterium, stuprum, raptus, incestus, sacrilegium, peccatum contra naturam: quibus accedit impudicitia. Filiæ verò & malæ soboles hujus maximè capitalis peccati enumerantur à D. Gregorio octo. utpote cæcitas mentis, præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, amor sui, odium Dei, amor mundi, horror futuri sæculi.

II. Fornicatio simplex est *concupitus naturalis illicitus soluti cum soluta*, est peccatum mortale ex natura sua, adeoque non tantum lege divina, vel humana positiva, sed naturali jure prohibita. Alia dicitur *vaga* more pecudum, modò cum hac vel illo: alia *determinata*, saltem ex parte feminae, & dicitur *concupinatus*: & respectivè simplex, adulterinus,

terinus, sacrilegus, incestuosus &c. cujus aggravans malitia est perseverantia voluntatis in peccato; quod nimirum concubiniarius non tantum peccet fornicando, sed etiam in continuo saltem virtualiter proposito peccandi perseveret, quamdiu scilicet concubinam voluntarie detinet. Unde absolvi non potest, nisi certo promittat illam dimittere, quamprimum absque graviore damno poterit.

III. Stuprum strictè sumptum est *concubitus cum virgine per vim coacta*. Ideoque peccatum mortale fornicationis. Continet aliam speciem peccati contra justitiam, gravissimæ scilicet, injuriæ, & damni illati virgini, & consequenter ejus parentibus, ac inducentem obligationem ad omnia damna inde consequentia compensanda; ut nimirum stuprator vitiatam aut ducat uxorem, aut honestè dotet. Quod si tamen puella ob illatum stuprum nullum aliud damnum passa fuit, puta, quia factum occultum mansit, & æque honestum matrimonium consecuta est, probabile est ad nullam restitutionem obligari stupratorem ante Judicis sententiam: quia pro injuria, secluso damno, nulla debetur restitutio, sed pœna à Judice.

IV. Raptus generatim dicitur *abductio violenta femina in alium locum ad exercendam libidinem*: quæ si virgo sit, effectu violenter secuto, non nisi valde accidentaliter differt à stupro, eademque ratione culpæ, & obligationi restitutionis obnoxius erit raptor. Si conjugata, vidua, non virgo, censetur potius oppressio, parique ratione sequeretur obligatio compensandi damna secuta fœminæ oppressæ. Strictius autem raptus dicitur similis *abductio violenta*.

za puella, seu virginis, seu non virginis, è domo seu potestate paterna in ordine ad contrahendum cum ea matrimonium. Et sic ultra peccatum mortale, novo jure, est impedimentum dirimens matrimonium; quod neque validari poterit, nisi puella loco tuto reddita de novo liberè consentiat.

V. Adulterium est concubitus illicitus in alieno thoro conjugati cum soluta, vel soluti cum conjugata, vel conjugati cum conjugata. Quod dici solet adulterium duplex. Est semper peccatum gravissimum mortale, multiplicis malitiæ moralis; ut puta contra castitatem, & contra justitiam, violando jus alterius conjugii? & insuper ordinariè causa maximorum, ac vix compensabilium damnorum, quando nimirum proles ab adultera concepta est. Ipse quidem adulter, si ex assertione adulteræ ligatæ, aliisque sufficientibus argumentis ac indiciis credat, vel credere debeat, prolem ex se genitam esse, in conscientia obligatur ad restitutionem faciendam; in primis patri putatio pro sumptibus necessariis factis in alenda, educanda & dotanda prole spuria; deinde reliquis legitimis pro damno, quod per proli intrusæ successionem patiuntur, idque in toto, vel in parte, prout adultera ad restitutionem cooperari multum vel parum potuerit. Interim ipsa adultera non tenetur aperire suum adulterium, neque marito, neque proli illegitimæ ad avertenda damna inde emergentia marito & prolibus legitimis; tenetur tamen in conscientia compensare illa damna, quantum in se est, & salvâ vitâ ac famâ suâ, est possibile.

VI. Incestus est concubitus illicitus inter consanguini-

guinitate vel affinitate junctos. Est etiam peccatum mortale gravissimum duplicis malitiæ, & contra castitatem, & contra virtutem pietatis personis conjunctis debitæ: eoque gravius quo vicinior; gravissimum est in primo gradu lineæ rectæ v. g. Patris cum filia, & filii cum Matre. Unde eas circumstantias graduum & lineæ in confessione explicandas monui jam alibi. Quod si quis cognovit consanguineam uxoris suæ vel e contra copulâ illegitimâ, intra primum & secundum gradum (consummatâ tamen intra vas naturale) ante contractum matrimonium est impedimentum dirimens; post contractum verò amittit jus petendi debitum, quamvis adhuc reddere teneatur.

VII. Sacrilegium carnale & personale est concubitus illicitus personæ aut sacre cum non sacra, aut non sacre cum sacra, aut sacre cum sacra, isque vel naturalis vel innaturalis. Intelligendo semper personam sacram solenniter per professionem Religionis approbatâ, aut susceptionem sacri Ordinis. Peccatum mortale gravissimum & speciale contra virtutem Religionis. Quamvis autem etiam voto simplici castitatis adstrictus, castitatem violans contra Religionem peccet, eamque circumstantiam in confessione exprimere teneatur, quia tamen per illud votum (utique ab Ecclesia solenniter non acceptatum) non fit persona sacra, ideò non dicitur committere sacrilegium. Aliud dicitur *Sacrilegium locale*, quod committitur in loco sacro, de quo plura alibi, de circumstantia *ubi*.

VIII. Peccatum contra naturam I. est *Bestialitas*, id est, concubitus carnalis quicumque hominis cum bruto,

to, aut cum demone incubo vel succubo. II. Sodomia perfecta, seu concubitus carnalis hominis cum homine ejusdem sexûs. III. Concubitus innaturalis, vel Sodomia imperfecta, est coitus hominum diversi quidem sexus, sed non servato debito vase. IV. Mollities est procuratio pollutionis voluntaria in se, vel in alio, extra aliquem concubitum, solius voluptatis causâ, omnia sunt peccata mortalia gravissima. Quin pollutio voluntaria directè procurata vel quæsitâ peccatum mortale est inexcusabiliter, etiam ad mortem evadendam: indirectè verò causata, tunc tantum peccatum mortale est, quando causa posita pollutionis prævisa, seu actio illa, ex qua prævidetur secutura pollutio, est peccatum mortale in genere luxuriæ: utpote aliquid per se turpe, & naturâ suâ multum provocans libidinem; cujusmodi sunt turpes cogitationes, aspectus & maximè tactus partium inhonestarum; Quando verò causa posita vel actio illa non est peccatum in genere luxuriæ, ut nimius potus vel esus calidorum &c. tunc pollutio prævisa, sed non intenta, culpam venialem non excedet. Denique quando causa posita, seu actio illa est omnino licita, necessaria vel utilis, utpote studere, confessiones excipere, mederi, equitare, certo & commodo situ, in lecto accumbere &c. dummodo semper absit periculum consensûs, tunc pollutio prævisa, ac præter intentionem merè naturaliter secuta nullam culpam adferet. Ita per omnia Patrit. hic n. 67.

IX. Impudicitia denique generatim est voluntaria occupatio potentiæ circa provocantia ad libidinem estque quadruplex, cordis, oris, aspectus, & tactus;

tactus; quo spectant oscula & amplexus, de quibus
sup. plura.

Remedium contra Luxuriam.

220. I. **J**ubeat Confessarius diligentius considera-
re, quanta damna corpori & animæ hoc
peccatum afferat: in quantum periculum salutis se
conjiat: quantam ab eo aversionem Deus habeat,
quam quidem colligere licet ex pœnis etiam in hac
vita immixtis; nimirum diluvio mundi: incendio
Sodomæ, aliarumque civitatum: Davidis fuga:
maritis septem Saræ ab Asmodæo jugulatis: Juve-
nis Lubecensis interitu (de quo vide Nicetam Dre-
xeli l. 2. c. 12. §. 9.) Luxoriosi Presbyteri animam
simul & semen effundentis, ut videre est in Specul.
Exempl. dist. 1. ex. 96.

II. Jubeat bene ponderare difficultatem curan-
di hoc vitium, si semel invalescat. Eum in finem
in memoriam revocet gradus, per quos in eo ad
damnationem descenditur, quos S. Gregorius his
verbis indicavit. Ex quo luxuria mentem alicu-
jus semel occupaverit, vix eum bona cogitare per-
mittit: sunt enim desideria viscosa, quia ex sugges-
tione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex af-
fectione delectatio, ex delectatione consensus, ex
consensu operatio, ex operatione consuetudo, ex
consuetudine desperatio, ex desperatione peccati
defensio, ex defensione gloriatio, ex gloriatio
damnatio.

III. Moneatur, quod luxuria sit similis ollæ in-
censæ, atque ideo eadem media ad illam extinguen-
dam adhibenda sint, quæ pro olla refrigeranda, si-

cut enim ad hunc finem aut ligna subtrahuntur, aut aqua superfunditur frigida, aut omnino ab igne olla removetur; ita pariter is, qui luxuriam extinguere cupit, debet aut aquam castigationis, & tribulationis superfundere ad imitationem S. Pauli castigantis corpus, ne reprobus efficeretur: aut ligna seu materiam subtrahere per abstinentiam ab immoderato potu & cibo, in quibus teste Apostolo, est luxuria: aut omnino removeere ab igne per fugam occasionum.

IV. Frequentem usum Confessionis & Communionis singulariter suadeat; vix enim quidquam his efficacius pro hoc vitio curando reperitur, uti factus est civis ille Ferrariensis, qui ante hunc usum perpetuis tentationibus vexabatur: & expertus est miles, qui suadente S. Bernardo Eucharistiam accipiens summam mox aversionem à concubina concepit, quam tamen ante summè deperierat.

V. Fugam otii etiam singulariter commendat juxta notum illum antiquum versum; *otia si tollas, perire cupidinis arcus*: id quod multiplici experientiâ non semel probatum est, præcipuè illius Monachi, qui in sæculum redire volens, monitus est à patre spirituali, ut per quadraginta dies in eremum secederet, & labori vacaret: quod ubi fecit, paulò post dæmonem specie Æthiopis obvium habuit, consistentemque, quòd per laborem & obedientiam illius devictus sit.

VI. Ante omnia verò suadeat, ut quotidie Christum crucifixum, & B. Virginem certis precibus venerentur, qui ejusmodi vitio laborant, auxiliùmque ad victoriam de eo reportandam implorent,

rent, ad quod non parùm proderit, si persuadere possit, ut aliquoties ad tantorum Patronorum honorem (maximè die Veneris & Sabbathi) à tali vitio abstineant.

I. INVIDIA.

221. I. **D**efinitur, est odium alienæ felicitatis, tristitia de bono alieno inordinata. Clarissimè ex D. Thom. 2. 2. q. 63. a. 1. Invidia est tristitia de bono alieno æstimato ab invidente ut malo proprio; quatenus scilicet minuit & obscurat propriam invidentis excellentiam, quo differt ab odio proximi: odio enim quis malè vult proximo, gaudet de ejus malo, & consequenter etiam tristatur de ejus bono. Est ergo invidia genuina proles superbix, cujus inordinatio consistit in hoc, quòd quis ita inordinate amet, vel appetat sibi propriam excellentiam in bonis veris vel fictis, ut nolit ejusmodi vel similia bona inesse proximo suo; indeque si videat ea proximo inesse, invidet ac tristatur, ac velut ringitur amarulento affectu. Præclare D. August. l. 11. de Genesi ad litt. c. 14. *Amando quisque excellentiam suam vel paribus invidet, quòd ei coequentur: vel superioribus, quòd eis non coequentur.*

II. Invidia peccatum mortale est ex genere suo secundum omnes, duplicem enim malitiam involvit: unam contra charitatem proximi: alteram specialem contra voluntatem Dei: cum enim voluntas Dei sit immediata causa distributionis bonorum ac donorum omnium, voluntati Dei repugnare con-

R 5,

vin-

vincitur, qui invidet & tristatur de bono vel dono, proximo collato: ideoque mortaliter peccare, nisi parvitas materiae, vel imperfectio actus excuset; sunt enim quidam ex natura proni ad invidiam (quod etiam in brutis advertimus) adeoque facile inveniuntur invidiam in proximum, qui motus, si rationem praeveniant, culpam vacabunt; si aliqualis semiplena tantum advertentia accedat, venialia evadunt juxta sup. dicta. Nam uti advertit etiam S. Thom. cit. q. 63. a. 3. constat aliquos primos motus invidiae inveniri quandoque etiam in viris perfectis, qui sunt peccata venialia, similiter ob levitatem materiae, proximo solum leve aliquod bonum, lucrum, fortunam &c. invidere, non tamen invidere etiam majora, vel quavis bona, non nisi veniale erit.

III. Invidiae ergo peccati gravitas mensuranda est ex magnitudine boni corporalis vel spiritualis, quod invidetur. Hinc omnium gravissima species est, atque peccatum in Spiritum sanctum, quod dicitur *fraternae charitatis invidentia*, quam scilicet ipsa bona spiritualia, ac dona Spiritus sancti atque adeo ipsam charitatem & gratiam Dei, virtutem & sanctitatem proximo quis invidet: qui nimirum illa propriam suam excellentiam minuire, sui vilipensionem causare, aut certe vitam & actus suos redarguere, & condemnare videt, vel aestimat. Unde odium, detractiones, temeraria judicia & persecutiones bonorum. Talis fuit invidia mortifera Cain occidentis fratrem suum Abel, de quo 1. Joannis 5. *Hac est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum, non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum, & propter quid occidit eum?*

eum? quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem justa. Simili invidia rabidi clamant impii, *Sap. 2.* Circumveniamus hominem justum, quoniam dissimilis est operibus nostris, gravis est nobis ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita ejus.

IV. Invidia denique jure optimo computatur inter peccata capitalia, quippe plurimorum & omnium ferè peccatorum contra proximum, causa & caput. Ejus à D. Gregorio quinque assignantur filix. 1. Odium, quo quis mala vult illi, cui bona invidet. 2. Susurratio, quæ apud alios invidium reddere molitur eum, cui invidetur, adeoque amicitiam dissolvere. 3. Detractio, qua famam denigrat bonam, quam proximo quis invidet. 4. Exultatio in adversis. 5. Afflictio in prosperis proximi, & hæc est pœna continua invidi, quo suo livore tabescit, ac velut serpentinâ morsitatione cor exedit. De qua proinde optimè D. Damascenus orat. 27. *Solus*, inquit, in omnibus affectibus iniquissimus simul, at æquissimus invidia est. Iniquissimus, quia bonis omnibus adversus est, æquissimus, quia dominos suos exest & conficit.

Remedia contra Invidiam.

222. I. **J**ubeat bene considerare, quòd per nullum vitium homo diabolo sit similior, quàm per invidiam: unde fit, ut sicut erga diabolum nemo bene afficitur, nemo compatitur, omnes oderunt, ita eòdem modo homines erga invidum se habeant.

II. Jubeat perpendere, quantorum malorum causa multis invidia fuerit? id colligere poterit ex
eade

cæde Caini, venditione Josephi, persecutione Davidis à Saule, morte Christi per invidiam procurata, imò totius humani generis perditione: nam invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum, teste Salomone: si ergo Parentis nostri occisorem in domum nostram non admitteremus, vel certe ibi latentem totis viribus expelleremus, & Judici traderemus, aut (si liceret) ipsi occideremus, an non multò magis invidiam ex domicilio cordis excludamus, quæ utrumque Parentem nostrum Christum scil. & Adamum occidit.

III. Jubeat pariter considerare, quòd invidus per invidiam non modò rem illam, ob quam invidet, non eripiat; sed sibi potius corpore & animo noceat; uti bene S. Chrysostomus indicavit dicens: *O Invidia, quæ semper sibi est inimica; nam qui invidet, sibi quoque ignominiam facit, illi autem, cui invidet, gloriam parit, & ut S. Greg. ait: Quo alii ad meliora properant, eò ipso deterius ipserunt.*

IV. Hortetur, ut nihil magnum existimet in hac vita præter Deum, quem omnes participare possunt: hinc S. Greg. *Parvulus est, vit, qui invidiâ occiditur, quia nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret.*

V. Jubeat frequenter meminisse motivorum, quæ ad fraternam charitatem excitare possunt, qualia sunt maximè eadem natura, eadem Christi beneficia, ejusdem hæreditatis repromissio.

VI. Ostendat modum, quo se quoque participem facere possit illorum bonorum, ob quæ alteri invidet; si scil. ob ea ex animo illi gratuletur: sic enim clarè docuit S. Augustinus dicens: *Tolle in-*
vidiam

vidiam, & meum est, quod habes. Talis enim dicere potest cum Davide Psal. 138. *Particeps ego sum, omnium timentium te, & custodientium mandata tua.*

VII. Perpendat gravitatem hujus morbi ex difficultate curandi, quam tres gravissimi Doctores seqq. sententiis indicârunt S. Greg. Quamvis per omne vitium, quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis virus infunditur, in hoc tamen nequitia suâ tota viscera commovit serpens, & imprimendæ malitiæ pestem vomuit. D. Basilius. ait, tam fædum malum est, ut invidus ipse prodere non audeat, simulat propterea gaudium, & tacite secum rumpitur, ob quam causam nec medium, nec medicinam mali sui facile invenit. Cassianus denique ait, eum, quem vel semel peste sui veneni corruerit (invidia) penè dixerim carere remedio. Ipsa namque est lues, de qua singulariter dicitur per Prophetam: Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos. Quis non exhorrescat ad horum auditum, & invidiam adhuc in semine suffocare studeat?

G.

GULA.

223. **D**efinitur: *inordinatus, seu immoderatus appetitus, ususque cibi ac potus.* Hujus quinque modos seu gradus ex. D. Greg. assignat. S. Thom. 2.2. q. 148. a. 4. I. Quoad *substantiam* cibi ac potûs, nimium lauta & exquisita appetendo. 2. quoad *quantitatem*, ultra naturæ ordinariûm appetitum sumendo ac ingurgitando. 3. quoad *qualitatem* & *excessivam præparationem*, nimis delicata

delicata appetendo. 4. *quoad tempus*, nim. tempore indebito comedendo & bibendo, aut excessivè protrahendo ac multiplicando commessationes & potationes. 5. *quoad ipsam delectationem gustûs*, in ea sibi nimium complacendo, aut nimis avidè & impotenter vorando, potando &c. Gulæ ergò duæ sunt species seu filix: commessatio & potatio per excessivam frequentationem: & ebrietas ac crapula usque ad rationis privationem.

II. Gula, commessario, potatio ex genere suo peccatum solum veniale est, quia excessus in re aliàs indifferenti vel licita, non nisi venialis culpa est. Per accidens tamen peccatum gulæ mortale evadit multipliciter. I. ratione enormis excessûs & deformitatis contra virtutem Temperantiæ, quâ homo statum naturæ rationalis enormiter & horrendè deturbat; ut maximè, qui scienter & voluntariè se insarciunt & ingurgitant usque ad vomitum. 2. qui ex proposito comedunt & potant, ut vomant, & vomunt, ut rursus comedere & potare possint. Sanè ratione hujus enormis deformitatis gula & commessatio in S. Scriptura numerantur inter peccata mortalia. *Rom. 13. Galat. 5. 1. Petri 4. & in Epist. Juda v. 12.* utique ratione gravis nocumenti Corporis, ut qui ob nimiam ingluviem sciens & advertens, vel advertere debens, graviter lædit valetudinem corporis; *nam propter crapulam multi perierunt.* *Eccl. 37. 3.* ratione gravis nocumenti animæ, ut cum quis advertens nimiam ingluviem delicatorum, sibi causari graves motus libidinosos cum periculo consensûs, se ineptum reddi

reddi ad functiones necessarias, aut executionem aliorum præceptorum &c. & universaliter omnes, quorum tota cura est in cultu ventris, quorum scilicet secundum Apost. *Deus venter est.* 4. ratione *præcepti specialis*, aut *positivi*, ut frangere jejunium: aut *naturalis*, ut comedere carnem humanam. Quod quidem etiam in extrema necessitate famis licere negant *Victoria*, *Valentia* & alii apud Laym. qui tamen cum aliis communius censent licere; quia licet aliqua absolute sint aliena à natura & ratione humana, ideoque lege naturali prohibita, tamen in extrema necessitate permiffa sunt; ut abscindere membrum pro tuenda vita &c. ita etiam dicendum de comestione carnis humanæ, si habeatur jam mortua: nullo enim casu licebit ad hunc finem alium occidere.

III. Præcipuus hujus vitii excessus est Ebrietas, quæ definitur, *excessus voluntarius in potu inebriante, voluptatis gratiâ usque ad privationem, aut gravem perturbationem usus rationis.*

Dicitur I. *Excessus voluntarius*: per quod excluditur omnis ebrietas ex errore vel inadvertentia proveniens, adeoque involuntaria; ut contingit iis, qui ad satietatem naturæ bibentes, ex mera debilitate naturæ, vel potius malitia inebriantur? qui scilicet fortitudinem vini non norunt, aut alia de causa futuram ebrietatem prævidere, vel advertere non potuerunt. Tunc enim committitur peccatum ebrietatis, quando quis advertens periculum probabile imminens ebrietatis, esto primò post horam, vel cum in liberum aerem exeuntem secutura sit: nihil;

nihil;

nihilominus liberè potare pergat, bestia est, si etiam intendit.

Dicitur 2. *voluptatis gratiâ*. Ob alium enim finem honestum v. g. ad recuperandam sanitatem; vel dum ustio, aliave enormis medicina sustinenda est, licitum est forti haustu se inebriare: neque enim tunc absurdum iudicat recta ratio ad breve tempus usu rationis destitui (quod etiam in somno accidit) ut reparata valetudine, munera rationis rectius præstentur. Addit *Lessius l. 4. c. 3. dub. 4.* etiam licitum fore se inebriare ad evadendam mortem intentatam, nisi propinanti respondeas; sed apertè repugnat S. August. serm. 232. de tempore dicens: *Etiamsi ad hoc veniretur, ut sibi diceretur, aut bibas, aut morieris: melius erit, ut caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur.*

Dicitur 3. *usque ad privationem usus rationis*, quòd si enim stante usu rationis sufficiente, solum phantasia non nihil turbata sit, etiamsi lingua titubet, pedes vacillent, oculi duplicata aspiciant, fenestræ circummagi videantur, imperfecta erit ebrietas, & peccatum veniale de gravioribus, si deliberatè fiat.

Dicitur 4. *vel gravem perturbationem rationis*; ut nimirum homo amplius discernere inter bonum & malum, & actiones suas ordinarias saltem dirigere nequeat (nam perficere non posse, etiam ex ebrietate imperfecta potest) cum certè ad ebrietatem perfectam & mortalem requiri non videatur, ut usum rationis omninò tollat, & planè brutum vel truncum efficiat. Pudendum est aliquorum
 exem-

exemplum: eum, qui ebrietate, quasi sepultus jacet in platea, si se movere possit, ne super eum currus transeat, aut saltem signum dare, ut currus aliò divertat non esse perfectè & mortaliter ebrium. Nonne hoc etiam brutum facere possit? in quo ergo rationis usu talis differret à bruto?

Est ergo ebrietas perfectè peccatum mortale secundum communem & receptissimam doctrinam cum *D. Thoma 2. 2. q. 150. a. 2.* Certè *S. Script. ad Galat. 5. 1. Petri 4.* numerat inter peccata mortalia. Et Ratio est: quia gravis reverà deformitas est, & grande malum, ipsique Deo valde injurium, imaginem Dei ita deturpare, & abjectâ rationis potestate, quâ nihil in homine præstantius, ad brutorum stupiditatem, solius voluptatis causâ, ultrò se abjicere. Cum igitur ebrietas per se intrinsecè mala sit, evidens sit, peccare mortaliter eos, qui alios jussu, suasu, propinationibus ad se inebriandum inducunt; unde & sancti Patres tales graviter reprehendunt, ita *Laym. l. 3. sect. 4. n. 6.*

Remedia contra Gulam & Ebrietatem.

224. I. **O**stendat turpitudinem & gravitatem hujus vitii præcipuè si usque ad privationem usûs rationis ascendat: per illud enim fit homo deterior ipsis brutis, assimilatur stultis & amentibus, annumeratur idololatri, quorum Deus venter est.

II. Jubeat considerare damna, quæ ex hoc vitio nascuntur; quia *ex D. Gregorio & Innocentio* gula paradysum occlusit, primogenituram vendidit, suspendit pistorem, decollavit *S. Joannem Baptistam,*

Pars II.

S

tam,

tam, princeps coquorum Nabozardan templum incendit, & Jerusalem totam evertit. Balthasar inter epulas manum scribentem vidit, & eadem nocte interfectus est à Chaldæis: verbo, propter crapulam multi perierunt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam.

III. Declaret, quantum periculum animæ subeant ebrii, id quod ex Jobi testimonio colligi potest, dicentis: Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt: hinc monet Christus: Attendite vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapula & ebrietate, & superveniat in vos repentina dies illa. In confirmationem proderit narrare exemplum Holofernis, Amonis, Israëlitarum (de quibus Scriptura ait: adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatur in populum, percussit eum plagâ magnâ nimis) Adami, Esau, divitis epulonis illius, qui animam dæmoni vendidit; & alterius, qui, quia post compositionem gratias egit dæmoni, vivus ab eo affatus est.

IV. Declaret, quomodo gula & ebrietas etiam in hac vita spoliet hominem sanitate corporis, divitiis, honore & famâ; confirmet hæc omnia exemplo Noë denudati, Loth incestum duplicem committentis, Alexandri Clitum optimum amicum occidentis. Mariti ob pecuniam gulâ absumptam depauperati, & liberos panem petentes occidentis &c.

V. Hortetur, ut societatem potatorum fugiat, & dum hi ad epulas invitant, ex altera parte Christum

tum Crucifixum ad abstinentiam hortantem sibi
imaginetur.

VI. Suadeat, ut in honorem Christi sitientis cer-
to tempore ab hospitio, vel immoderato potu ex-
tra tempus prandii aut cœnæ sumi soliti abstineat,
penamque pro numero transgressionum su-
mat.

VII. Suadeat, ut exemplo Christi in tentatione
gulæ mentem ad meliorem cibum eleuet, dicatque,
non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo,
quod exit de ore Dei. Vel cibus meus est facere
voluntatem Patris mei, qui in cœlis est. Vel cum
S. Bernardo: Tua JESU dilectio, grata mentis re-
lectio, replens sine fastidio, dans famem deside-
rio.

I.

I R A.

125. I. **I**Ra definitur communiter: *Immoderatus*
appetitus vindictæ. Explicatius Mar-
tibant. *Tribun. tom. 2. tract. 6. tit. 2. q. 2. Est commo-*
tio inordinata animi, vindictam, vel quasi vindictam in-
ordinate appetentis. Iræ enim peccaminosæ duplex
est inordinatio: una ex parte ipsius motûs iræ, seu
modi irascendi; ut si nimium interius excandescas
vel exterius per signa nimis patefacias: altera est ex
parte objecti, seu vindictæ; ut si proximo appetas
vindictam injustam, vel justo majorem.

II. Ira inordinata primo modo quoad mo-
dum passionis, seu modum irascendi nimium, est
peccatum veniale ex genere suo. Est enim excessus
voluntarius in passione animi de se indifferente,

quippe quæ etiam bona & virtuosa esse possit; si ea utamur ex motivo virtutis & zelo Justitiæ, ad propulsandum vel vindicandum malum peccatum in nobis vel aliis nostræ curæ commissis, juxta illud *Psal. 4. Irascimini, & nolite peccare.* Excessus autem vel inordinatio in re indifferenti per se culpam venialem non excedit, juxta regulam jam sæpius repetitam, igitur &c. Rectè tamen docet *Marchant. cit.* Iram etiam in hac inordinatione motus seclusâ vindictâ injustâ, evadere peccatum mortale ratione enormis excessûs, & deformitatis in irascendo, cum scilicet quis deliberatè, sciens & volens motus iracundiæ adeo exacerescere sinit, ut erumpat in enormes gestus, clamores, tursiones, spumas, membrorum contorsiones, ut gravissima injuria hominis constitutionem afficiat; talis utique peccat mortaliter; quia imaginem Dei ac creaturam rationalem enormiter dehonestat ac deturpat, unde SS. Patres passim docent, per iram hominem mutari in feram, imò in dæmonem, & tres rectè solent assignari iræ species: *Rancor, insania, furor.*

Rancor est ira, quatenus causat ac continet internam indignationem, aversionem, odium, vindictam &c. *Insania*, quatenus mentem rationis ulul privat: *Furor* denique, quatenus in ejusmodi inordinatos ac enormes motus erumpit.

III. Ira inordinata secundo modo, quoad inordinatum appetitum vindictæ inferendæ, est peccatum mortale ex genere suo; utpote directè repugnans charitati, quatenus proximo suo inordinatè malum appetit; ac etiam justitiæ, si actu in injustas vindictas erumpat. Primò cum quis appetat

appetat vindictam in immeritum. 2. Et si in me-
 ritum, tamen ultra meritum. 3. Etsi in quomo-
 documque meritum, tamen præter ordinem; ut si
 inimico appetas pœnam propriâ autoritate per-
 e infligendam. 4. Etsi omnibus his servatis, ap-
 petatur vindicta non ad debitum finem, ut justa est
 ex zelo Justitiæ ac odio iniquitatis; sed merè ut sa-
 tiva animi tui malevoli, ex odio personæ, amore
 proprio & vindicandi libidine.

IV. Ira utrovis modo inordinata meritò com-
 putatur inter peccata capitalia, quippe plurimo-
 rum peccatorum ac malorum caput & origo, quæ
 nimis nota. Sex tamen ejus peculiare filia ac so-
 ciales enumerantur à S. Gregorio l. 31. moral. c. 27.
 nimirum indignatio, tumor mentis, clamor, contu-
 melia, rixa, blasphemia. Ira enim aut remanet in
 corde, & sic irascitur: *Indignatio*, seu aversio affec-
 tus inordinatus in proximum, ex eo, quod appre-
 hendat se indignè à tali tractari. Et consequenter
 nascitur *tumor mentis*, quo quis morosè excogi-
 tat diversas vias vindicandi, hisque cogitationibus
 nimium tumefacit & inflat: & tunc est peccatum
 pro ratione vindictæ gravis vel levis, mortale vel
 veniale: Indignatio autem plerumque veniale tan-
 tum est, nisi ad gravem proximi contemptum pro-
 cedat. Aut ira ulterius erumpit in os, & sic enasci-
 tur 3. *Clamor* indignationis index, cum iratus vo-
 cem extollit, multa inordinatè & confusè effun-
 dat: id Christus *Matth. 5.* significat per verbum
aga, quod nihil distinctè significat, sed solum mo-
 tum indignationis exprimit; & hic clamor per se
 peccatum veniale est. Consequenter au-

tem 4. nascitur *Contumelia* interim contemptis in-
dex, qua quis proximo malum objicit, intentione
illum inhonorandi; quod Christus expressit per
verbum *Fatue*, quo omnis contumelia aperta signi-
ficatur: peccatum mortale ex genere suo. Aut
ira erumpit in ipsum opus, & actualem vindictam,
& sic 5. nascitur *Rixa*, percussio, vulnera, caedes;
& si vindicta non succedat, oritur 6. *Blasphemia* in
ipsum Deum; omnia mortalia ex genere suo.

Remedia contra Iram.

226. I. **H**ortetur ut pœnitens se præparet ad
quoscumque casus patienter ferendos
per considerationem passionis Dominicæ; quia
tela prævifa minus feriunt.

II. Demonstret illi omnes injurias vel alia ad-
versa esse similia illis imaginibus, quæ, si à dextris
aspiciantur, Christum: si à sinistris, diabolum re-
præsentant. Hortetur ergo, ut illas à dextris intuea-
tur, quatenus à Deo missas vel permissas. Et qui-
dem ex singulari erga illum amore, ad summam ip-
sius utilitatem: sic enim fore, ut amaturus sit potius
lædentes, quàm odio habiturus sit.

III. Proderit etiam ostendere damna corporis
& animæ, honoris & sæpe etiam opum per iram
generari solita; ut mariti, qui ex ira filium in agro
glebâ occidit, se suspendit, & sic effecit, ut uxor ad
spectaculum evocata infantem in balneo relinque-
ret, suffocârit, & tum demum reperiens mortuum,
etiam se suspenderet.

IV. Suadeat, ut ira fervente taceat, uti Christus
S. Brigittæ suasit, & Philosophus quidam Regem
monito,

modo, ut iratus prius Alphabetum recitaret, quam quidquam inciperet. Sic David *turbatus sum, & non sum locutus.*

V. Jubeat præmium mansuetis promissum intueri; sic ille dominus putans fieri non posse, ut iram vinceret, didicit id intuitu æternæ mercedis, quando alium æquè iracundum paucis nummis promissis advertit ab ira abstinuisse.

VI. Quærat, an vellet ita secum agere Deum, quemadmodum ipse cum proximo agit; dum scilicet ob quamvis etiam vilissimam rem graviter illi indignatur & irascitur: ne ergo faciat, quod sibi fieri nollet: nam Deus mensurâ, quâ metimur aliis, nobis remetitur.

A. ACEDIA.

227. I. **T**Riplex est, naturalis, moralis & capitalis.

Acedia naturalis, una est merè corporalis, scilicet torpor & hebetudo quædam virium naturalium deficientium respectu laboris suscipiendi, orta nimirum ex ipsa corporis complexione malè affecta. Alia dicitur *sensualis*; estque passio seu tristitia appetitus sensitivi, laborem & difficultatem operis refugientis. Ex eo enim, quod appetitus naturaliter fertur in bonum conveniens vel delectabile sensui, naturaliter abhorret ab omni disconveniensi, vel molesto sensui, indeque tristitia quædam & aversio à labore & difficultate operis.

Acedia hæc naturalis utraque secundum se quamdiu merè naturalis, & nullo modo peccatum est, sed virtutis ac meriti materia & seges. Facta

autem voluntaria, per liberum consensum voluntatis, jam evadet *Acedia moralis*. Itaque

II. *Acedia moralis* & peccaminosa rursus alia est *universalis*, seu quidam remissi animi languor ad bene operandum in rebus salutis, seu in exercitio virtutum, quatenus laboriosum ac difficile est. Potestque versari circa quodcunque præceptum vel virtutem; & ideo non est speciale peccatum: sed eatenus solum peccatum est, quatenus causat transgressionem, vel negligentem executionem præcepti vel virtutis; ac semper idem numero cum ipsa transgressionem vel negligentem executionem. E.g. quidam ex *acedia* & torpore proveniente ex apprehensione difficultatis, consentit in omissionem, omittit horas Canonicas, erit idem numero peccatum mortale: si solum negligentius persolvat, idem erit peccatum veniale. Quod si verò stante illa *acedia*, torpore & tristitia nihilominus præceptum perfectè adimpleat, etsi difficulter, *acedia* nullo modo erit peccatum, sed augebit meritum. Alia est *acedia moralis specialis*, etiam capitalis dicta, quæ inter septem vitia Capitalia ultimo loco numeratur: & hæc

III. *Acedia specialis* ac capitale vitium est tristitia de bono spirituali ac divino, quatenus hominem retardat à prosequendo illo bono, v.g. ab ipsa gratia & amicitia divina conservanda, & beatitudine consequenda per virtutum exercitia laboriosa: & consequenter etiam ab adhibendis medijs ad illum finem. Et hæc *acedia* omnino voluntaria ac deliberata est peccatum speciale, ac mortale gravissimum; quia directè repugnat charitati divi-

næ eamque destruit, quatenus continet veram & actualem aversionem à Deo ultimo fine. Cujus signa pessima & effectus sunt, amaritudo, tædium ac idus gustus mentis ad omnia spiritualia & divina, ac ipsam cogitationem Dei: item aversio à verbo Dei, ut non nisi cum tristitia quis audire possit de Deo, æterna beatitudine, salute procuranda: incuria salutis, tædium vitæ, & alia mox inter filias acedix enumeranda.

IV. Itaque Acedia jure meritissimo computatur inter peccata capitalia; quia gravissimorum peccatorum causa est: ejusque speciales filix à D. Gregorio enumerantur sex. 1. *Malitia*, quæ homo odio habet ipsa bona spiritualia secundum se, vellétque ea non esse: dolet, quòd bene fecerit, cuperet non esse natum & creatum à Deo: non agnovisse Christum, adeoque ipsa beneficia Dei contemnit. 2. *Rancor*, quo ii sunt fastidio, qui hortantur ad spiritualia; ut Confessarii, Concionatores, & Religiosi. 3. *Pusillanimitas* erga omnia bona spiritualia tanquam ardua, ea refugiendo; ab iis se subtrahendo, &c. 4. *Desperatio* consequendæ beatitudinis, peccatum mortale gravissimum, si pleno rationis consensu fiat. 5. *Torpor* in observantia divinorum. 6. *Evagatio* mentis ad illicita, de quibus vide *Layman. l. 2. tract. 3. cap. 9. & Marchant. Tribun. tom. 2. tit. 4. sect. 1. q. 3. §. 2.*

Remedia contra Acediam.

228. I. **O**culos ponant Christum, qui in laboribus fuit à juventute sua, & obediens usque ad mortem Crucis pro salute nostra, quid er-

go nos pro eodem, & salute nostra propria par erit facere?

II. Jubeat sæpe meminisse cœlestium gaudiorum, quæ labori nostro sunt promissa; an non sic ei, ut Jacobo, videbuntur omnes labores breves præ amoris magnitudine? si diabolus ad omnia se tormenta inferni paratum fore dixit, usque ad diem judicii toleranda, ut unico momento Deum aspicere liceret, quanto magis exiguus & brevis labor suscipiendus est, ut Deum per totam æternitatem videre liceat?

III. Proponat ob oculos stultitiam hominis in spirituali lucro faciendo negligentis: si enim homini pauperi thesaurus Regius aperiretur, atque facultas daretur per unam horam auferendi, quantum vellet & posset, an non summa vecordia & insania foret, si vel otio vel nugis horam illam consumeret? Cum ergo cuius homini gratia hæc facta sit, occasioque oblata, quantum volet meritum in hac vita comparandi; an non, si otio & nugis vacet, tanto majori reprehensione dignus censabitur, quanto majora erant bona, quæ comparate poterat?

IV. Statuat illi mercatores, aulicos, milites, jubeatque considerare, quantos labores suscipiant pro vanissima mercede, & honore, quem tamen sæpe non accipiunt; an non ergo erubescere debet, quod pro veris, æternis, inexplicabilibus gaudiis, & mercede magna nimis, quæ Deus est, minora longè agere, & pati detrectet, aut horreat.

V. Considerare jubeat, quod aut in hac aut in altera vita patiendum aut laborandum sit: an non
autem

autem omnes hujus vitæ labores præ unius diei
tormantis in altera vita eligat?

VI. Alloquatur illum seriò illis Salomonis
verbis: vade ad formicam ô piger! & considera
vias ejus, & discite sapientiam, quæ, cum non habeat
ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in
æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod co-
medat. Et tu in æstate hujus vitæ non congrega-
bis, quod in æternum comedas?

VII. Denique explicet illi periculum vitæ æter-
næ amittendæ, in quo versatur, juxta illud *Psalmistæ*,
Psal. 106. Omnem escam (spiritualem) abomi-
nata est anima eorum, & appropinquaverunt us-
que ad portas mortis, quam ut effugias, lege
& rulina hæc omnia diligenter,

quæ conscripta
sunt

AD

LAUDEM DEI OPTI-
MI MAXIMI.



SPE-



SPECULUM CONFES- SIONIS GENERALIS.

Quia post peccata commissa, con-
fessio facienda est, quæ, ut integra fiat,
pænitens seipsum examinet, ac
quærat.

Circa primum Præceptum.

229. 1. **A**N non in rebus fidei hæsitaverit, vel ali-
quem Articulum omninò negaverit?
2. An non diffidentiam aliquam, aut pusillani-
mitatem contra bonitatem divinam admiserit?
3. An non res creatas inordinato amore prosecu-
tus sit, sicque Deum purè & ex toto corde non
dilexerit? 4. An non adversa animo impatienti,
& divinæ voluntati patùm conformato exceperit?
5. An non ob aliquod donum naturale vel super-
naturale superbierit illud viribus aut conatibus
propriis adscripserit? 6. An non contra Religio-
nem & honorem Deo debitum, res divinas, aut
sacras irreverenter tractarit? 7. An non preces
cum culpabili distractione ac irreverentia perege-
rit? 8. An non sacramenta sine debitâ præpara-
tione, reverentiâ ac fructu susceperit? 9. An
non

non in cultu & obsequio tepidus & inconstans extiterit? 10. An non in SS. Patronorum veneratione & amore remissus & inconstans fuerit? 11. An non aliquo superstitionis genere Deum & Sanctos offenderit? 12. An non debitas Deo pro acceptis beneficiis gratias persolvere neglexerit?

Circa secundum Præceptum.

13. **A**N non Deum, vel Sanctos illius blasphemârit? 14. An non temerario quodam juramento vel perjurio Deum offenderit? 15. An non votum aliquod Deo aut Sanctis oblatum transgressus sit?

Circa tertium Præceptum.

16. **A**N dies festos violaverit faciendo, vel mandando opera servilia sine debita causâ? 17. An neglexerit audire Missam integram diebus festis, vel alii causam dederit negligendi? 18. An per notabile tempus sub missa fuerit voluntariè aut culpabiliter distractus? 19. An debito tempore vel modo jejunia observârit?

Circa quartum Præceptum.

20. **A**N non superioribus suis, parentibus debitam reverentiam exhibuerit? 21. An superiorum mandata transgressus fuerit? 22. An de superiorum suorum vitiis & ordinationibus murmuraverit?

Circa

Circa quintum Præceptum.

23. **A**N proximum cogitatione id est, odio, invidiâ, suspicione vel iudicio temerario offenderit? 24. An eundem læserit verbo, maledictione, inhonestis agnominibus, convitiis, irisione, subfannatione, murmuratione, detractio-
ne, mordacibus, aut asperis dictis, consilio, ius-
sione, laudatione, seminatione discordiarum. 25.
An opere aliquid contra eundem admiserit, id est,
an plus æquo iratus fuerit, correxerit, percusserit,
vulnerarit, mutilarit, occiderit, damnum in for-
tunis intulerit, inhonorarit, scandalizaverit &c.
26. An domesticos suos non neglexerit, debitam
sustentationem, educationem, correctionem neg-
ligendo? 27. An non immoderato cibo vel po-
tu sibi ipsi damnum intulerit, vel omnino inebri-
ando usu rationis privaverit; aut alios ad ebrieta-
tem hortando, cogendo vel præeundo incita-
rit?

Circa sextum Præceptum.

28. **A**N cogitationes impuras voluntariè accerfi-
verit, vel cum morosâ delectatione iisdem
inhæserit, aut consensum dederit? 29. An ver-
ba lasciva cum delectatione, aut voluntate peccan-
di protulerit? 30. An opere ipso contra castita-
tem peccarit, litteris amatoriis, osculis, amplexi-
bus, tactibus, copula: mollitiè, aut alio vitio con-
jugii servaverit? 31. An fidem conjugii servarit?

Circa septimum Præceptum.

32. **A**N habuerit voluntatem determinatam ali-
quid accipiendi injustè, vel retinendi?

33. An

33. An actu aliquid abstulerit? & quantum? 34. An rem alienam retineat contra voluntatem Domini? aut restitutionem, ad quam sub mortali obligabatur, neglexerit? 35. An emendo vel vendendo fraudem commiserit? 36. An usuram vel Simoniam patrârit? 37. An lusu immoderato, aut injusto peccaverit? 38. An auxilio, aut alia ratione ad furtum vel rapinam cooperatus sit?

Circa octavum Præceptum.

39. **A**N mendacium jocosum, officiosum, vel perniciosum dixerit? 40. An promissum aliquod implere neglexerit? 41. An alteri falso corde adulatus sit. Atque hæc sunt potiora peccata, circa quæ non ipse tantum pœnitens sese examinare, sed etiam Confessarius interdum ipsum interrogare potest, vel etiam debet.

**Omnia ad majorem DEI
Gloriam.**



IN.



INDEX

Rerum Notabilium Al- phabeticus.

Numerus Folium denotat.

A.

Acedia, quid, quotuplex, quale peccatum? fol. 279. Remedia contra acediam. 281.

Actus humanus quid? 80. qualis requiratur cognitio ad actum humanum? 81. qualiter debeat esse voluntarius? 85. unde desumat suam bonitatem & malitiam? 120. quomodo possit fieri bonus propter finem bonum, malus propter finem malum? 124. item quomodo & qualem sumat actus humanus bonitatem aut malitiam ex circumstantiis. 126. quæ circumstantiæ, sigillatim explicantur à f. 129. datur actus indifferens in individuo. 133. externus addit actui interno novam malitiam. 137. quinam actus cadant sub lege vel præcepto humano? 138.

Adulterium quid? quænam obligatio Adulteri & Adulteræ. 260.

Amatoriæ litteræ an, & quando peccatum. 189.
Am.

Ambitio quid? 249. quale peccatum. 250.

Aspicere animalia coeuntia, seipsum, alios, an & quando peccatum? 187.

Attentio mentis requiritur in horis canon. 141.

Avaritia quid. 255. quando peccatum mortale. ibid. Remedia contra avaritiam. 256.

B.

Bonitas & malitia actus humani quid? 118. quænam bonitas & malitia ex objecto. 121. ex fine. 124. ex circumstantiis. 126.

C.

Cantare, legere, dicere turpia, an, & quando peccatum. 189.

Censuræ & Casus reservati. 202.

Choreas ducere, an, & quando peccatum? 188.

Circumstantiæ quid, quid aggravantes, quid speciem mutant. 128. explicantur illo trito versiculo. *quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* 129

Collatio vespertina in die jejunii admittit quartam partem cœnæ ordinariæ. 205.

Concubinitus quid, & quale peccatum. 258.

Concupiscentia appetitûs sensitivi quid? 116. alia antecedens, alia consequens. ib. non reddit actû involuntarium. ib. voluntarium imperfectum auget. 117. perfectum minuit, & quandoq; aufert. ib.

Conjugatis licita est delectatio morosa de copula cum propria uxore, atque omnia ad eam dispositiva, puta aspectus, oscula, amplexus, tactus &c. 240. etiam si alteram partem contingat abesse, secluso tamen periculo pollutionis. 241. etiam si careat jure petendi debitum ob incestum. ibid. peccat tamen aliam sibi imaginando. ibid.

Pars II.

T

Con-

Conscientia quid, 3. alia *recta*, alia *erronea*, alia *dubia*, alia *probabilis*, alia *scrupulosa*, alia *bona*, alia *ma-
la*. 3. *recta* & *erronea invincibilis* positive obligant
ad sui sequelam pro ratione dictaminis. 7. quomo-
do peccet operans ex conscientia *erronea vincibili*
seu culpabili? 11. quando confessarius debeat infor-
mare sive vincibiliter sive invincibiliter errantes &
ignorantes. 14. casus notabilis. 16. alius casus. 17.

Conscientia *probabilis* quid? 19. quando liceat se-
qui. ib. casus notabilis. 20. quomodo liceat mutare
opiniones? 21. quænam opinio communis tuto se-
quenda? 24. an & quando teneatur Confessarius se-
qui opinionem probabilem contra probabiliorem
suam. 31. casus notab. 33. quando agitur de valore
actûs aut efficacia alicujus rei ad certum effectum,
non licet sequi quamcunque opinionem probabi-
lem, sed semper aut certa, aut probabilior eligenda
est. 35. casus varii usque ad f. 42.

D.

Delectatio morosa. 229. speculativa per se illicita
non est. 232. illicitum est de re etiam materia-
liter mala delectari, si delectatio non fiat de ea sub
ratione aliqua boni, v. g. quia inculpate facta est,
235. delectatio morosa statibus applicatur à f. 239.

Desiderare rem materialiter malam. 237. deside-
rare rem formaliter malam peccatum est. 225. desi-
deria conditionata quomodo & quando licita vel
illicita? à fol. 227.

Dubix conscientix varix divisiones. 42. stante
dubio practice pratico non licet operari. 44. ex-
plicatur comune axioma juris: *in dubio tutior pars
est eligenda*. 45. casus varii. *In dubio melior est conditio
possi-*

possidentis. 48. *in dubio non præsimitur factum, sed demonstrari debet.* 49. dubium de ipsa lege, promulgatione aut receptione legis relinquit hominem in possessione suæ libertatis. 51. casus varii contra dubium de abrogatione legis, quam constat aliquando viguisse, non eximit ab observatione ejus. 52. casus varii: nemo censetur ligari, si dubitat, an commiserit factum, ob quod pœna decreta est, excepto homicidio, cum constat de corpore delicti. 53. casus varii. Econtra ligatus manet, qui dubitat, an impleverit, ad quod obligatur. 56. in dubio de inchoandæ obligationis tempore homo possidet suam libertatem, non verò in dubio de tempore obligationis finiendæ. 58. quid in dubio obligationis contractæ & solutionis factæ? 60. casus alii à f. 62.

E.

E Brietas quid, & quando committatur? 271. Remedia, à fol. 273.

Examen circa decem præcepta, *in fine.*

F.

F Alficare mensuras & pondera. 214.

Ferix seu Festa quomodo celebranda? 203.

Finis bonus non semper facit actum bonum, malus autem semper malum actum causat. 125.

Fornicatio quid, quale peccatum? 258. ubi de aliis luxuriæ speciebus in seqq.

Furor quid? 276. ubi enumerantur aliæ soboles iræ.

Furti materia gravis absolutè respectu cujuscunque etiam Regis quæ. 195. an, & quando furta minuta multiplicata sint peccatum mortale. 216. quid de eo, qui integram domum evacuat sæpe repetitis actibus. 165.

T 2

G. Gula

G.

GUla quid, quique gradus ejus? 269. per accidens sæpe mortalis. 270.

H.

HORÆ Canonicae recitari debent attentè. 143. non tamen illicitum est sequi sententiam probabilem oppositam. 27.

Humanus actus quid? 80. vide *Actus*.

Humanas carnes comedere, an, & quando liceat. 270.

Hypocrisis quid? 249. enumerantur etiam aliæ soboles superbiæ.

I.

JACTANTIA quid. 249. quale peccatum. 250.

Ignorantiæ ejus divisio ex parte subjecti. 92. ex parte objecti. 93. *antecedens & concomitans*. ib. *vincibilis, invincibilis*. 94. vincibilis alia *affectata*, alia *non affectata*. 94. invincibilis quæcunque tollit actum peccaminosum. ibid. non sic vincibilis, esto minuat. 96. invincibilis & juris & facti excusat à pœna. 97. non verò vincibilis, sit sit crassa, lata, supina. 98. sciens legem, & ignorans pœnam per legis prævaricationem incurrit eam, nisi sit exorbitans, aut censura, ibid. & seqq.

Impudicitia quid & quotuplex. 262.

Incestus quid, quænam pœna ejus. 260.

Intentio implendi legem an, & quæ requiratur. 144. & seqq.

Invidia quid, quinque ejus soboles. 265.

Involuntarium quid. 100.

Judex in ferenda sententia tenetur sequi sententiam probabiliorem. 40.

Jura-

Juramentum assertorium & promissorium. 192. in violatione promissorii datur parvitas materiæ. 191.

Ira quid, ejusque tres species, quando peccatum mortale. 275. & seqq.

L.

Laborare in die Festo quale peccatum, 203. ubi etiam de Sacro audiendo. 204.

Liberum arbitrium admitti debet in homine. 80. estque duplex *contrarietatis*, & *specificationis*. 81.

Libros hæreticos legere peccatum est pro ratione materiæ vel veniale vel mortale, etiam cum excommunicatione Bullæ Cœnæ. 199. idem de retentione. 200.

M.

Malitia moralis quid. 118. vide supra *Bonitas*.

Materia Furti sufficiens ad peccatum mortale, vide *Furtum*.

Medicus & Chyrurgus tenentur sequi sententias certas & securas relictis incertis & minus securis. 38

Mentiri officiosè ob vitam proximi ex conscientia invincibiliter erronea non est peccatum. 8.

Metus quid. 101. variæ ejus divisiones. *ibid.* Metus *Reverentialis* quandoque æquivalet metui cadenti in virum constantem seu gravi. 102. metus quicumque gravis (non perturbans rationem) non tollit voluntarium simpliciter, sed secundum quid tantum 104. quando verò in toto vel in parte excuset à peccato habetur. *ib.* metus quicumque non perturbans rationem non infirmat promissiones, nisi sit gravis & injustè incussus ad extorquendum actum. 108. qui quidem gravis injustè incussus ad extorquendum actum ipso jure naturæ irritat omnem contractum,

tum. 111. nihilominus valida sunt omnia Sacramenta ex metu aut collata, aut suscepta (dummodo adsit intentio conferendi aut suscipiendi) excepto Sacramento Matrimonii. 115.

Motus primò primi quid. 219. nullo modo sunt peccata. 220. secundò primi non nisi venialem malitiam continent. *ibid.* motus deliberati admissi quando, & quale peccatum. 223. permixti, 224.

Mollities quid? 262.

O.

Omittere Sacrum, vel ejus partem notabiliter. 204. omittere horam minorem, laudes, vesperas, aut unum nocturnum in matutino, mortale est. 202.

Opinio probabilis quando, & quomodo sequenda, vide supra de *Conscientia*.

Oscula inter solutos, item osculari pueros. 187.

Ostentatio. 249.

P.

Parvitas materiæ nulla datur, quando læditur aut perfectio Dei infinita, aut quodvis magnum bonum indivisibile. 129. exemplificatur in seqq. nec in venereis directè intentis, practicè potest admitti parvitas materiæ excusans à mortali. *ibid.* admittitur tamen in delectatione venerea indirectè tantum voluntaria. 185. casus in seqq. specialiora circa parvitatem materiæ. *ibid.* & seqq.

Peccator perversus stimulum conscientiæ patitur, lætari tamen quomodo possit. 78. ubi ipse stimulus conscientiæ explicatur. 75.

Peccatum quid. 150. indirectè voluntarium quando. 89. omne peccatum mortale saltem implicitam

citam averfionem à Deo continet. 152. quare dici potest quodammodo malitiæ infinitæ. 154. peccatorum unitas & distinctio specifica. 156. numerica. 160. & seqq. per plures conferentias, non omnia peccata sunt æqualia. 170. nec omnia mortalia. 172. mortalis & venialis peccati differentia. 173. mortale quandoque fieri potest veniale ex quadruplici capite. 177. possibile est peccatum *pure omissionis*. 169. peccatum contra *naturam*. 146. peccatum *originale, personale, actuale, habituale* quid. 150. peccatum *ex contemptu*. 243. *ex consuetudine*. 245.

Percussio Clerici, 201.

Præsumptio quid. 249.

Propositum malum *absolutum*. 225. *conditionatum*. 227.

R.

Rancor quid? 276.

Raptus quid, & quotuplex. 259.

Remedia contra acediam. 281. contra avaritiam. 256. contra gulam. 273. contra invidiam. 267. contra iram. 278. contra luxuriam. 263. contra superbiam. 251.

S.

Sacramenta collata ex metu gravi injusto valent excepto matrimonio. 115.

Sacrilegium *carnale, personale, locale*, quid. 261.

Scientia moralis quid. 2.

Scrupulus, Conscientia scrupulosa quid. 66. contra scrupulos agere non tantum licitum. 67. sed etiam longe consultius. 69. imò & quandoque necessarium est. 70. Remedia pro scrupulosis 71. maxime pro eis, qui scrupulizant in oratione. 74.

Solutis

Solutis illicita est omnis delectatio morosa, venerea captata, admissa, permiffa & 239.

Sodomia perfecta, imperfecta. 246.

Sponsis etiam illicita est venerea directe voluntaria. 239. licita tamen desideria, gaudia, consensus & de futura copula. 240.

Stimulus conscientiae quid? 75.

Superbia completa, incompleta & ejus filiae. 248.

T.

Theologia moralis quid? 3.

Qui TACET consentire videtur, quomodo intelligendum? 91.

Turpia cantare, dicere, scribere. 189.

V.

Venialis à mortali differentia. 173. omnia venialia velle committere, & sola mortalia vitare per se probabilius non est mortale. 218.

Viduis esto licita sit approbatio copulae praeteritae, non tamen ulla delectatio venerea ex copula praeterita. 240.

Voluntarium quid & quotuplex. 85. voluntarium directum & indirectum. ibid. quando actus censetur indirecte voluntarius ac peccaminosus. 89. voluntarium perfectum impediencia. 92.

F I N I S.

Omnia ad majorem DEI
Gloriam.

ā, ve

olun-
fensus

filia


ntelli-


venia-
vitare


præte-
pula

unta-
s cen-
s. 89.

I







Sargar.

Th
2267